PARÆNESIS
IOANNIS COLVILLI SCOTI [POST QVADRAginta annorum errores in gremium Sanctæ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ quasi postliminio reuersi] ad suos Tribules & Populares.

Quæ autem capita hac Paræneſi contineantur, poſt Epiſtolam reperientur.

PARISIIS,
E Typographia STEPH. PREVOSTEAV, via D. Ioan. Later. in Collegio Cameracenſi.

M. DC I.

AMPLISSIMO,
REVERENDISSIMOQ;
Antiſtiti: Domino, Domino Epiſcopo Pariſienſi, Mæcenati meo obſeruandiſſimo: ſplendidiſſimæ Gondæorum familiæ Pampino ſplendidiſſimo.

MVLTA me (Præſul Ampliſſime) ætate prouectũ, ærumnis confectum, omnibus ſcientiæ eloquentiæque præſidiis deſtitutum deterrent quominus in arenam de quæſtionibus in Religione controuerſis deſcendam, præſertim cum nuperrimè in hoc argumenti genere tot ingenio doctrinaque excellentes viri omnes induſtriæ ſuæ

neruos intenderint : vt iis quos tantâ obſeruantiâ colo iniurius, mihi ipſi moleſtus, lectori ridiculus fore videar ſi inſtar Arachnæ arrogantis talium Miner-uarum telas exorſas aut concludere, aut corrigere, aggrediar. Eam profectò ob cauſam poſtquam huic leuidenſæ vulgari vltimam manum impoſuiſſem parum abfuit quin eam Vulcano ſacrificaſſem niſi illi quorum authoritati non parere nefas putaui mihi meam ſententiam mutare conſuluiſſent. Ad hæc incommoda, tot malis totque aduerſæ fortunæ telis peſſundatus obruor vt nihil mihi priſtinorum ſtudiorum in animo exulcerato maneat pręterquam notiones & veſtigia quædam communia : quæquidem obliuio ignorantiæ craſſæ coniuncta neceſſarium mihi ſilentium imperabat exemplo Timanthis Pictoris, qui quæ ſatis dignè exprimere nequibat ea velo ſolitus eſt inuoluere. Sed vicit

hæc omnia impedimenta, faſtidioſa quorundam obtrectatio, qui me non firmis ſcripturarum argumentis ſuperatum, ſed turpi pecuniarum fame faſcinatum religionem mutaſſe, malitiosè contendebant, quo fit vt hanc triuialem popularibus meis paræneſin meique ipſius iuſtificationem apologeticam ſub vmbra alarum veſtrarum protegendam emiſerim: niſi enim in his anguſtiis authoritas nominis veſtri laudatiſſimi Aſyli loco eſſet, mihique tantam ſecuritatem adferret quantam aliquando illa Alexandri magni indocto Poëtæ Cherilo, animum profectò deſponderem: cùm ſciam quòd oporteat ſpinas ſalebraſque calcare, & loca fœta furentibus Auſtris. Primùm enim hoſtes ſalutis meę exacerbati, vt me odioſum, profeſſionemque meam ſuſpectam reddant, infinitas contra me criminationes confingent: verùm calumnientur & oris animique quæ

velint venena expuant, ego interim in patientia mea possidebo animam meam, & cum Socrate si vera obiecerint, agnoscam, admonebor & flebo: sin falsa, ignoscam, consolabor & ridebo. E diuerso amici mei constantiam meam labefactare tentantes Aureos montes pollicebũtur atque iampridem polliciti sunt: Quorum benevolẽtiam quantumuis cæcam & pręposteram æquo animo ferendam existimo, cum illos non malitioſè ista tentare, intelligam: præsertim cùm spe non omninò inani alar, idem illis me tentando fortassè accidere posse quod piscibus voracibus, qui dum escam piscatoriam capere conantur, ipsi hamo abscondito inscij capiuntur. Cuius rei exemplum memorabile in sororibus Sancti Bernardi relictum legimus. Illæ enim venientes vt fratrem Bernardum (mũdum pro monasterio mutantem) ab instituto detraherent, tractæ fuerant &

perſuaſæ vt in monaſteriis vitam incredibili pietate lucentem cælibes ſanctæque abſoluerent. Vtantur itaque quibus velint precibus, prætio, calumniis, criminationibus amici pariter inimicique, nihil Deo auſpice proficient: Duo enim ſunt qui me ſecurum & inſeparabilem reddent, vnum quod calumniæ technæque veritatis examen non magis pati poſſunt, quàm nix ſolem aut cera ignem: Alterum eſt, quòd cum Eccleſiæ propugnaculum inuictiſſimum aſcenderim certò ſciam nullas mihi neque hoſtium machinas, neque minas, neque ſupplantationes, neque ſcalas eſſe metuendas, intelligamque Deum omnipotentem ſuam potentiam ex impotẽtibus, lucem ex tenebris, ex morte vitam exprimere, impetumque arrogantium vt vndas tumultuantes maris æſtuantis in ſpumam inanem conuertere. Fateor interea (Antiſtes ſplendidiſſime) nihil hic veſtra amã iiij

plitudine dignum, nihil vestræ erga me benignitati æquipollens exhiberi : cùm (vt vestra beneficia maiora taceam) pedem nunquam in aulam vestram posuerim, quin clara mihi signa eximij cuiusdam affectus demonstrarentur idque per omnes vestros vernaculos mansuetissimos, ingredientem me, exeuntem & manentem summa cum beneuolentia excipientes & dimittentes. Laudatur molorchi Pholique in Herculem humanitas, Iani in Saturnum, Euandri in Æneam, Canusinorũ Apulensium in Romanos post cladem Cannensem, Pharaonis illius qui Iacobo suisque liberis terram Iessam designauit : sed vestra munificentia laudabilior : Illi enim non nisi in viros maximos, clarissimosque beneficia sua contulerunt: vos in homuncionem hospitum, obscurum, squalidum, imo in stipulam siccam & in folium quod vento rapitur, vbi nulla remunerationis,

nulla virtutis aut operatio, aut expectatio: illi herbas virentes, vos flaccescentes rore benignitatis vestræ rigastis, verùm pro tot tantisque beneficiis cum non sim soluendo, quid faciam? Faciam profectò vt apud Alcinoum vlysses cum quod pro gratia vestra rependere non habeam grates saltem rependam, hancque Paræneſin (fœtum expositum) quam potius eiecisse quàm peperisse mihi videor vestræ authoritatis scuto defendendam immolabo: idque duplici ratione: Primum vt lucem aliquam meæ obscuritati cõciliem ex vestra luce cuius antiquum, potens & amœnum stemma splendet inter Galliæ Hetruriæque prima, vosque in illo inter primos, Patrem habetis alterum Nestorem aut Æneam, fratres Ascanios: Neque silentio præterire possum illustrissimum Cardinalem Patruũ, qui prudentiæ suæ, fortitudinis ac pietatis eximiæ specimen eximium in his turbis

ciuilibus ſedandis edidit. Magna & admirabilia profectò fecit, maiora facturus ſi maior latiorq; cāpus virtutibus ſuis datus fuiſſet, quibus alter Liuius aut Plutarchus debitus eſt: mea autem tenuitas illas admirari poterit, explicare nequit. Hos omnes habetis generis veſtri gemmas nitidiſſimas, illi te vnionem vnicum: ſed fœnerantur in hoc vnione ſolo virtutū omnium communionem cumulumque poſſidētes, cum Odonis, Galoniſque Anteceſſorum laudatiſſimorum exēpla laudatiſſima tam laudabiliter imitemini, ſortemque meritis, annos animi dexteritate, ſtirpem nobiliſſimam morum nobilitate maiore lōngè ſuperetis. Altera cauſa eſt cur hoc vobis abortiuum expoſuerim, nempè vt pro beneficiis in me collatis æternam veſtri relinquam memoriam, animique grati aliquam quamuis longè imparem demonſtrationem cum Euangelij leproſo Alienigena exhibeam:

Dignetur itaq; patronus Clemẽtiſſimus Clientis obſequentiſſimi ſtipem admittere, qui quamuis cum Martha negotia veſtra ſecularia curare nequit, vnum tamen illud quod ſufficit cùm Maria facere ſtudebit, votiſque & precibus quotidianis Deum Opt. Max. cernuus orabit vt virtutibus veſtris eximiis præmia magis eximia rependat, voſque diù pro Eccleſię ſuę ornamento illuſtriſsimo conſeruet: cumque Samuëlis pietate, manſuetudine Moyſis, Abrahami fide & Tobiæ charitate tam gloriosè ornauerit, annos quoque Mathuſalam cum exitu Eliæ glorioſo concedat, ſupplico. Pariſiis Cal. Octob. annj 1601.

Veſtri famulus obſequentiſſimus,
IOANNES COLVILLVS
Scotus.

A prima pagina ad vndecimam narratur cuius operâ perſuaſum eſt Authori ſe in gremium Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ Romanæ coniicere, vnà cum inſtituti ſui ratione ſuccincta.

A pag. 11. ad 17. oſtenditur veritatem ex Eccleſia non ex veritate Eccleſiam inueſtigandam.

A pag. 17. ad 58. quę ſit vera Chriſti in terris Eccleſia militans per quatuor notas illi quarto modo proprias deſcribitur: vbi obiter de Eccleſiæ viſibilitate, de Traditionibus & ſucceſſione Apoſtolicis, de reali præſentia, aliiſque controuerſiis diſſeritur.

A pag. 58. ad 76. probatur notas Antichriſtum eiuſque ſedem in Scripturis deſcribentes, nullomo-

do neque Romæ, neque Pontifici Romano conuenire.

A pag. 76. ad 87. Remedia maximè idonea ad ſedandas præſentes Eccleſiæ controuerſias proponuntur: atque inde vſque ad finem eiuſdem Paræneſis hortantur Eccleſiæ catholicæ Romanæ deſertores vnde deciderunt tempeſtiuè reuerti.

IN hac perdocta Magistri Ioannis Coluilli Scoti ad suos ciues Paraenesi nihil reperimus fidei Catholicæ aut bonis moribus repugnans, imò permulta ex sacris literis & antiquis patribus deprompta, quæ magnam lectoribus vtilitatem afferri poterunt, ideóque prelo esse perquam digna.

ita testor Guillelmus Bis-hope,
& ego Ioannes Boseuile.
ita est Iacobus Langæus.

PARÆNESIS IOANNIS COLVILLI Scoti ad ſuos ciues.

SI Platonem illum diuinum Academicorum coryphæum ſupra omnia Deo gratias egiſſe legimus quòd ætate Socratis natus fuerit, ex quo tamen non niſi philoſophiæ mundanæ theorica praximque conſequutus in academia aliqua prophana famã fumumque ſcholaſticum haurire potuit: Quantas ego Deo Opt. Max. gratias rependere teneor, qui mihi non Socratem ſed Samuëlem alterum pędagogum dedit, qui me philoſophia cæleſti illuminatum in academiam Eccleſiæ Catholicæ Romanæ ingredi curauit poſt quadraginta annorum errores (tot enim annis extra illam imprudens erraui) in quibus vt Iſraëlitæ in deſerto ſeculari: Ita ego in ſolitudine ſpirituali ſingulares ſectatus anfractus ignorantię denſiſſi. caligine opertos non ſine animi iactura incredibili perditè & pertinaciter vixi.

Accidit tamen diuina me præueniente gratia

quòd anno ſalutis humanæ 1599. idibus Februariis Pariſios appulerim, non minoribus malis circundatus quàm fuerant prædicti Iſraëlitæ Ægyptum fugientes. Nam vt illi vndequaque aut hoſtibus, aut mari rubro, aut montibus belluarum plenis premebantur: ita ego quòcunque oculos verterem nõ niſi mortis imaginem formidabilem animaduerti. Hoſtes enim mei per fas nefaſque me inſequebantur: amici mei & proximi mei dereliquerunt me & longè ſteterũt flocci facientes fortunæ meæ ſpectaculum deplorabile. Sed vt elementum maximè formidabile illis aluum miſericordiæ inexpectatæ aperuit: ita per illum quẽ implacabilẽ fore putaui animæ corporisque ſalutem adeptus ſum. Is enim cùm Rector eſſet almæ Academiæ pariſienſis poteſtatem quã metuebam in amicitiam quam non expectabam, conuertit. Ille mihi erat in his auguſtiis inſtar alterius Ariadnes me filo fauoris ſui ex labyrintho incredibiliũ miſeriarum educens. Mihi erat inſtar illius angeli qui conſolabatur cogitabundam Agar cùm ſederet apud fontẽ in ſolitudine quæ ducit ad Syriam. Mihi erat inſtar alterius Philippi ſcripturę arcana incognita aperiens: alioqui cum illo Candiæ Enucho adhuc ſine reſolutione ſemper legiſſem & cum Siſypho lapidem inquietum zeli ſciẽtiæ expertis inutiliter voluiſſem.

Hæc de domino Ioãne Fraſerio Scoto generoſo almæ academiæ Pariſienſis quõdam rectore celeberrimo dicuntur.

Sed ne candelam quam incendit ſub modio abſcondam, talentumque quod commiſit ſepultum ignauus recondam, ſtatui ciues meos huius beneficij participes facere. partim vt illis beneuolentiæ meæ argumentum aliquod exeram: partim

vt conuersionem meam à calumniatorum Mænippeis partialibus vendicem. Potissimùm cum videam hac ætate omnia errorum fuligine contentionũque turbine deplorabiliter contaminata & labefactata: totque tumultuantium hominum de religione opiniones differentes, contrarias, absurdas, coloribus tamen fucatis ita personatas vt quæ perfectæ sint quæ infectæ non facile sit iudicare. Nam si dixerit aliquis se sequi velle in hac cultus diuini ambiguitate vestigia sanctorum hominum hanc ætatem pręcedentium replicabitur (sed sophisticè) sanctitatis exempla, insignia esse fallacia cùm omnes homines sub peccato inclusi sint & cùm non sit, qui faciat bonum vsque ad vnum, idque exemplis illustrare conãtur, Patriarchis, polygamiam: Noæ, temulentiam: Lotho, incestum: Moysi, incredulitatem. Dauidi stupum homicidiumque obiicientes. quod idem est ac si dicerent latronis boni fidẽ propter furta pręterita: Petri planctum propter abnegationem & Magdalenæ lachrymas propter lubricitatem antecedentem non esse sequendas, neque Pauli zelum imitandum quia inuenit in membris suis legem legi spiritus repugnantem, & quia malum quod noluit id fecit. Pari ratione potuit Noâ Arcam ingredi recusare quia in ea tot erant animalia immunda, atque huic argumento nitentes qui Apostolos audiuerãt illorũ dogmata despexissent cùm illorum vnus esset proditor. Deinde si antiquitatem sectari quispiam contẽderit: Respondebunt nihil esse insulsius, cùm Cain & Esaü seniores reprobi essent, Abel & Iacob Iuniores electi:

Authoris institutum & huius æui curiositas explicatur.

affirmabuntque diabolo peccatoque nihil antiquius, nihil nequius. Obliuiſcuntur interim primogenitos (vt legitur de Sem & Abraham) aliquando fuiſſe Deo optimè dilectos: deumque & bonitatem dæmone, peccatoque multo antiquiorem. Denique ſi ſtatuamus in his tenebris Eccleſię doctoribus conciliiſque celeberrimis tanquam radiis coruſcantibus obtemperare: dicent doctores homines, concilia conuentiones humanas erroribus ſubiectas fuiſſe: non conſiderantes ſic reſpondẽdo ſe ſuo gladio iugulare. Si enim Patres doctiſſimi conciliaque tot digniſſimorum epiſcoporum frequentia celebrata, labi, errare, fallique potuerunt, putantne ſeipſos qui nec doctrina, pietate, antiquitate, frequentia cum illis comparare audent omnino erroribus exemptos & immunes eſſe?

Qui in hac ætate curioſi inſolentes ſunt Scripturas ſuarum opinionum aſſeclas faciunt.

Breuiter ea iam arrogantiâ impudentiaque laboramus vt clariſſimas Scripturarum enunciationes noſtrarum opinionum concluſiones ancillares aſſeclaſque efficiamus, nolẽtes ex illis noſtras opiniones aſſertioneſque colligere. Quod idem eſt acſi diceremus Scripturas non ad reformandas ſed ad confirmandas noſtras opiniones diuinitùs inſpiratas eſſe. Exempli cauſa. Legimus in ſacris paginis has enũciationes manifeſtas. *Obedite principibus etiam diſcolis*, & de paſtoribus. *Facite quæ iubent non contradicentes.* Nolumus tamen opiniones noſtras ſeditioſas quæ omnem ſubiectionem diſcutere conantur) hiſce oraculis ſacroſanctis captiuas reddere, ſed è diuerſo noſtras opiniones (quæ principes paſtoreſque inſtituam & religio-

nem peruertentes reſiſtendos imò explodendos eſſe pronuntiant) pro antecedentibus infallibilibus affirmantes omni Scriptura quæ de hoc negotio loquitur pro concluſione, exegeſi aut explicatione, vtimur abutimurque. Eodem modo in hac propoſitione aurea, affirmatiua emphatica (hoc eſt corpus meum) expreſſis verbis in Euangeliorum protocolis impreſſa: & in illa fictili, negatiua, phantaſtica quæ nuſquam ſcripturarum neque expreſſis neque tacitis verbis reperitur, hoc non eſt corpus meum, ſed corporis mei figura, Impudentia noſtra plus ſatis liquet: cùm non ex illo cæleſti antecedente quod digito dei calamos Euangeliſtarum ducente ſcriptum eſt noſtras opiniones in ſacramento Euchariſtiæ colligere & componere dignemur: ſed volumus illud ad normam noſtræ opinionis inſipidæ colligi, componi, intelligi: vnde ſit vt nulla religionis fundamenta aut principia admittamus niſi illa Protagorę qui ſuis diſcipulis ea pro veritate amplecti permiſit quę vnicuiq; maximè probabilia videbãtur. Nullam volumus normam niſi Lesbyam quæ cum ex plumbo eſſet facilè ad omnem figuram torquebatur.

Scriptura ſola non eſt idoneus iudex.

Etſi de controuerſiis in religione componendis iudex deſideratur nullum niſi ipſas ſcripturas mutas, inſenſiles, inanimes admittimus, quo quid ſtolidius dici poſſit. Edant quæſo huius propoſiti defenſores à mundo creato in hunc vſque diem vnicum ſolum talis actionis exemplum (vnicum profectò ſufficiet) vbi actor reuſque iudicio ſiſtentes ſola lege ſcripta iudicati receſſerunt. Sed

impossibilia peto, hactenusque adeò inusitata vt antehac nunquam: quid enim absurdius aut magis ridiculum quàm illam principalem omnis iudicij personam (nempe iudicem) omni iudicio destitutam esse imaginari: confitemur reo, actori: immò bedallis forique ostiariis (etiamsi non ageretur nisi pro asse aut denario) sensuum iudiciique potentiam esse apprimè necessariam: sed cùm de animæ salute agitur iudicem sensu iudicioque orbatum sufficere opinamur, quæ insania! *ô tribus Anticyris caput insanabile! nõ pæriet Delos nõ epidaurus opem.* Sed in hoc argumento veterum monumenta considerare expedit. An qui leges duodecim tabularum in tanto pretio habebant & qui omnes leges apud romanos in vnum codicem collegerunt ipsis legibus solis pro iudicibus vtebãtur? Et inter hebræos vbi deus ipse legislator erat iudicesne an leges ipsę controuersias dirimebant? & quamuis in euangelio *scrutandas esse scripturas* legimus: veruntamen eiusdem euangelij præceptis iubemur, *Dicere ecclesiæ*, quibus verbis alius præter ipsas scripturas iudex designatur, idque ratione optima ostenditur, nam qui discipulis legibus operam dare consulit, iudices omnes alios foro arceri non iubet. Deinde cùm eadem sit ratio inter ecclesiam & scripturas qualis est inter nauclerum & nauis clauum, inter latomum & normam perpendicularem, inter magistratum & legem, negari nequit iudicandi prerogatiuam ecclesiæ non scripturis debitam esse: quid enim proficiet naui fluctuanti infinita habere gubernacula nisi regantur manu naucleri? quid lapidibus, cæ-

mento, lignis huc illucque ſparſis indigeſtiſque amuſſis rectiſſima, niſi adſit latomi induſtria? quid codicum aut digeſtorum myriades plebi contendenti niſi magiſtratus illorum voluntatem mutã viua voce pronunciauerit? Experientia conſtat quod cùm numeratur, qui numerat non calculi per quos numeramus, numeratoris nomẽ habet, cùm per pecuniam aliquid emimus non pecunia ſed nos emptores dicimur: ſimiliter per aurium organa ſonos audimus, nos tamen non aures noſtræ, auditores nominamur: pari modo quamuis per ſcripturas eccleſia inter orthodoxas & hereticas contendentium ſententias diiudicat, illa tamen non ſcripturæ pro iudice legitimo admittenda eſt. Illa enim nauem chriſtianam ſua manu ſalutifera non gubernante ſubitò errorum fluctibus pelagóque immenſo abſorpti obruemur, & niſi illa veritatis in hac opinionum varietate amuſſim nobis applicuerit, vt lapides lignaque ſtupida & indiſpoſita ſtupidi indiſpoſiti & dubij ſemper manebimus.

Verùm vt iſtius æui inſania (quæ controuerſias eccleſiæ doctoribus conciliiſque eccleſiaſticis paſtoribuſque apoſtolica inſtructis ſucceſſione ſubmittere ambigit) authoritate luculenta ſuperetur, vnicum exemplum Theodiſij ſenioris (quem Auguſtinus, Oroſius & poëta Claudianus adeò celebrant) in hoc negotio producam. Hic quidem in difficillima incidens tempora, in quibus propter nouas in fide diſſentiones, gliſcenteſque ſectas popularium mentes paſſim diſtrahebantur, doctiſque inter ſe acerrimè concertantibus, etiam electi

Theodoret. Caſſod. in hiſtor. trip.

ipsi in aliquam dubitationem inducebantur. Etenim Eunomius electum satanæ organum sua zizania dominico agro inspergebat & Nouatianum serpebat virus, copiasque suas augebant macedoniani & Arriani. Interim Theodosius magno cum animi dolore christianæ ecclesiæ faciem spectans nullum remedium satis idoneũ reperiebat, accersit igitur Nectarium episcopum constantinopolitanum vbi manebat & ab eo scisscitatur quid facto sit opus ad concordiam laceratæ ecclesiæ restituẽdam. Nectarius verò cùm non haberet quod ex tempore responderet Agelium episcopum consulit: Agelius fortè Sisinium lectorem habebat hominem non mediocriter eloquentem, in sacris literis vt in philosophiæ cognitione probè versatũ, iudicioque & rerum agendarum dexteritate pollentem. Is iussus dicere quid roganti Cęsari respõdendum esset in hunc modum disseruit, concordiam christianæ religionis frustrà sperari quãdiu partibus nouam doctrinam inducentibus libertas disputandi relicta esset: imo verò præsentia schismata non solùm hac disputandi libertate non tolli sed augeri grauioresque inde lites ac pugnas irreconciliabiles expectari oportere. Aliam igitur ineundæ concordię quæ solida esset viam sequendam esse. Nimirum vt præsentes controuersiæ ex veterum patrum (qui ecclesiæ calculo approbati fuerant) traditione iudicarentur, vnde Imperatorem rectè facturum si pręcipuos sectarũ magistros interrogandos curaret velinte veterum ecclesiæ doctorum iudicio stare, ijs potissimùm qui ante natam modò contentionem cum gloria floruissent

floruissent: ac propterea vt minimè suspectos controuersiarum censores & arbitros iurè recipiendos esse, quod si hos arbitros admittere detrectarent postulandum ab illis esse vt verbis disertis pronuntiarēt sibi damnari patrum authoritatem, ac si rursus hanc damnationis legem disertis verbis ferre nollent ex hac sola tergiuersatione constare quantum fidei mereantur noui de fide disputatores vtpote tam arrogantes vt sese tot tantisque patribus probatis vel æquare vel anteponere non erubescerēt, & idcirco pro falsis doctoribus ecclesiçque veræ pestibus iure habendos atque profligādos esse. Quid multis? placuit hęc sententia Nectario qui statim ad Theodosiū Cęsarem reuersus concilium Sisinij aperuit, suáque authoritate confirmauit. Cæsar verò vt erat princeps prudentissimus lectoris consilium diligenter expendit & hanc ineundæ concordiæ rationem approbat reque ipsa probandam censet. Itaque sectarum principes ad disputandum instructi conuocantur ac præter expectationē à Cæsare interrogantur quo in pretio doctores ecclesiæ haberent eos nempe qui ante noua diuisionis tempora extitissent. Hic primum illi modestiam præ se ferre & de patribus honorifice loqui quasi pręceptores illos agnoscerent seque illorum discipulos fiterentur, verum sciscitante iterum Imperatore essetne illis constitutum patrum testimonia eo habere loco vt illis cum de aliis christianæ doctrinæ partibus tum de subortis nupertime controuersiis iudicetur, omneque iudicium terminetur, hic illi suspensi hærebāt aliis aliud obtendentibus

& eiusdem etiam sectę sociis inter se mutuo altercantibus quid quantumque scriptis & authoritati veterum esset largiendum: quidam Cæsaris institutum probare, sed plures veterum sententias defugere visi sunt, periculum subodorantes de causa cadendi si ex antiquorum patrum iudicio præsentes controuersiæ dirimerentur. Theodosius igitur cum illos videret pertinaces & confusos memorandum omni posteritati reliquit exẽplum vt quod Tertullianus docuerat (tractans hanc Pauli sententiam hereticum hominem post vnam aut alteram admonitionem deuita) nempe, ne catholici cum hereticis disputaturi per sacras literas cum illis in arenam descendant, sed potius vt ad ecclesiæ maiorumque traditiones prouocent & ex illis germanam scripturæ intelligentiam omniumque de propositis fidei quęstionibus veritatem petant atque confirment. Sicut & Origenes pronunciauit, illam solam credendam veritatem quæ in nullo ab ecclesiastica patrum traditione discordat.

Sed cum hodierna die paucos habeamus Theodosios, qui Sisinij consilia salutifera sequãtur (quãuis nulla ætas vnquam fuerat aut boni consilij indigentior, aut nouarum opinionum fœcundior) cum omnia talibus sophismatum laruis inuoluãtur vt nõn facile sit prudẽtibus nedum plebi vulgari definire scientesne an ignorantes, antiquitatem an nouitatem, ordinemne an ataxiam sequi debeant, eam ob causam ego qui aliquando iisdem difficultatibus laboraui, tribulibus ciuibusque meis omni qua debeo beneuolentia explicare

aggrediar quibus rationibus hac anxietate liberatus sum.

Ex cognitione Ecclesiæ cognoscitur vera religio.

Legi in Apostolo ad Timoth. 3. cap. *Ecclesiam firmamentum & columnam veritatis dici*, vnde mihi apprimè necessarium fore iudicabam quæ, qualis & vbi terrarum hęc columna, hoc firmamentum esset scrutari: vt illa cognita non amplius de veritate superedificata inter tot fluctuantium varietatum procellas ambigerem. Admiratus sum interea præposteram illorum sententiam qui aratrum bobus præmittentes vnumquemque ex veritatis cognitione Ecclesiam, nō ex Ecclesiæ cognitione veritatem agnoscere posse, autumant: cum Augustinum ipsum non pudeat affirmare quod nōn credidisset euangelio (quod veritatis est Archiuū indubitatum) nisi Ecclesiæ authoritas illum induxisset: considerauit proculdubio illud Ecclesiæ lumen quam impossibile fuerat vnicuique plebeïo explorare latentia euangelij arcana (quod tamen præ cæteris Scripturę libris minimam prima frōte promittit difficultatem,) atque hęc abyssus inscrutabilis non solum Ecclesiæ doctoribus scribēdi, vigilandique occasionem prębuit: verumetiam apostoli ipsi nisi viuente christo illius viua voce, & post illius ascensionem incredibili spiritus sancti præsentia suffulti fuissent certè hæsitabūdi & vacillantes sępenumero dixissent. *Loquere nobiscum clarius & non in parabolis*, & cū Petro super aquas ambulante. *Domine saluum me fac, immergor.*

Sensus Scripturarū difficilis.

Hiero. lib. 1. aduersus pelagianos.

Queritur Hieronymus sua ætate hereticos vt fauorem plebis sibi conciliarent scientiam scripturarum quibusuis etiam mulierculis tribuisse, &

ad Paulinum cap. 6. sic ait. *Sola Scripturarum ars est quam sibi passim omnes vendicant: hanc garrula anus hanc delirus senex, hanc verbosus sophista, hanc vniuersi præsumunt, lacerant, & docent antequam discãt,* vnde & non aliundè si Hilario, Hieronymo, Augustino, Epiphanio credendum est tot hereses & schismata nata sunt cùm quilibet ad suum iudiciũ Scripturas interpretetur atque ad sua commenta accommodare conatur. Verum patres Ecclesię venerabiliores non prius sibi Scripturarum peritiã assumpserunt quam ipsi à præceptoribus Scripturarum callentibus instituti essent. Sic diuus Hieronymus se beato Gregorio Nazianzeno & Dydimo magistris sacras literas didicisse gloriatur. Sic Basilius in monasterio per annos tredecim remotis omnibus libris prophanis Scripturis operam dedit, earumque sensum non ex suo cerebro sed ex veterum Scriptis & authoritate hausit.

Hilar. lib. 2. de trinitate. Hieron. in cap. 1. ad Galat. August. lib. 2. confessio. cap. 25. Epiph. in 7. Synod. sess. 6.

In veteri testamento non legimus omnes fuisse doctores & interpretes sed paucos: & in Nouo cum Diuus Paulus gradus & ordines in Ecclesia instituit manifestè ostendit Scripturarum genuinum sensum omnibus non esse peruium. Et Tertullianus in prescriptionibus cap. 14. pro notis Ecclesiarum hereticarum manifestis accipit vbi nulla est vitæ, sexus, officij, ordinis distinctio in Scripturarum lectione & vbi (vt illius verbis vtar) *Catechumeni ante sunt perfecti quam edocti, vbi mulieres procaces adeò vt audeant docere, disputare, contendere, vbi hodiè diaconus qui cras lector, hodie presbyter qui cras laicus, vbi laici sacerdotalia munera exercent.*

Præterea si medicamentorum sinceritatem nō ægrotantes sed Medici examinant: si Dispensatorum est familiæ administrandæ iudicium non vniuscuiusque serui vernaculi: & si Nautarum est officium non vectorum res nauticas disponere: Nonne maiori ratione medicamenta Scripturarum salutifera per medicos Scripturarum callentes examinanda? escaque familiæ Ecclesiasticæ per dispensatores solertes vnicuique distribuenda, quæque nauem Ecclesię hereseon fluctibus semisubmersæ conueniant, naucleris polorum pōtique peritis non vectoribus singulis, idque nauseantibus, stertentibus, ignorantibus, committenda sunt? & cum videamus nón solum in scientiis liberalibus verumetiam in ipsis artibus mæchanicis (quantumuis sordidis) opus esse vt studeamus, discamus, dubitemus antequam intelligamus, doceamus aut demonstremus, idque adhibita quorundam annorum diligentia: nonne par (si non maior) exercitatio ad Theologiæ peritiam requiritur? cum illa sit scientiarum omnium domina & regina: veruntamen eam nos illotis (vt aiunt) pedibus primo anno, immò aliquando primo mense aut die aliquid legere callentes (papillionum more qui faces ardentes noctu temerè aggredientes ardescunt) temerarij aggredimur: docentes antequam didicimus, interpretantes, distinguentes & concludentes imò concionantes antequam rudimenta elemētaria aliarum scientiarum nedum illius scientię imperatricis extremis labris libauimus: atque in hoc imitamur illos qui cum ad freta periculosa transeūda peruenerint, & nauem, qui-

dem conducunt, ſed nauis clauum, contum & naucleros peritos res inutiles eſſe putantes procellis inſurgentibus in arenas aut ſcopulos naufragi impingũt: ita qui Scripturarum pelagus immenſum in ſuarum opinionum naue rimoſa temerarij nauigare præſumunt aut in Scyllam ſchiſmaticorum aut in Charibdin hereticorum irruãt neceſſe eſt, nolentes periculum tam manifeſtum neque præuenire neque præuidere.

Quaſi Scripturarum ſenſus genuinus vnicuique prima fronte pateret. Aliter profectò Diuus Auguſtinus ſenſit cum diceret. *Multis multiplicibuſque obſcuritatibus & ambiguitatibus illos decipi qui temere legunt Scripturas, aliud pro alio ſæpenumero ſentientes,* quemadmodum & alibi idem Auguſtinus affirmat non temerè à ſpiritu ſancto Scripturas eſſe tectas vt potè ne nimia familiaritate vileſcant. Sed Ireneus vt omnium antiquiſſimus ita præ cæteris manifeſtiſſime Scripturarum difficultatem his verbis exprimit, dicens, *illas infinitus ſapientiæ diuinæ myſteriis abũdare, maieſtateque inenarrabili fulgere: cum tot contineant dialectos variabiles, tot phraſes obſcuras, parabolas, ſchæmata, tropos, figuras, imo prima fronte tot clauſulas contradictorias.*

Auguſt. lib. 2. de doctri. chriſti. cap. 6.

Irenæ. lib. 2. cap. 27. contra hereſes.

Duplici itaque ratione difficilis eſt Scripturarum ſenſus: primum reſpectu materiæ de qua tractant. Agitur enim de myſteriis abſconditiſſimis Sacramentorum, angelorum, creationis, incarnationis, regenerationis, prędeſtinationis, vnitatis & ttinitatis aliiſque ſupernaturalibus & incomprehenſibilibus arcanis. Deinde ſtylus ſcripturę ſcripturã reddit difficilem: quia non ſolum quæ in illa ob-

ſcura ſed quæ plana videntur non niſi eadē gratia ſupernaturali aſſiſtente quæ exercent, intelligi poſſunt. Leginus enim ſapientiæ. 9. *Senſum tuum domine quus ſciet niſi tu dederis ſapientiam & miſeris ſpiritum ſanctum tuum de altiſsimis.*

Præterea quis inficiabitur iudicium admirabile requiri vt perfectè ſciamus quæ literaliter quæ figuratiuè interpretanda ſunt? Deinde phraſes ſcripturæ ambiguæ non paruam pariunt difficultatem, vt cum legimus Ioan. 8. *Tu quis es? principium qui & loquor vobis*, & Mathæi primo. *Non cognouit eam donec peperit*, & Corinth. 1. cap. 15. *Quid facient qui baptizantur pro mortuis?* & illud Epheſ. 3. *Vt innoteſcat principibus & poteſtatibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei*, &c. & illud 1. Pet. 3. *In quo & his qui in carcere erant ſpiritibus veniens predicauit qui increduli fuerant aliquando cum expectabant Dei potentiam in diebus Noë.* Item phraſes imperfectæ: vt illa 5. ad Romanos. *Sicut per vnum hominem peccatum in omnes homines in condemnationem: ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationē vitæ.* Vbi in tota periodo non reperitur verbum principale aut copulatiuum ad ſententiā abſoluendam. Item phraſes more Hebræorum captæ vt Pſal. 118. *Anima mea in manibus meis ſemper.* Item phraſes Ironicæ, vt Geneſ. 3. cum loquitur Deus de Adamo dicens. *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis ſciens bonum & malum.* Neque deſunt Antiphraſes exquiſitiſſimæ, vt Iob. 1. cum dicitur Iobum, *quotidie ſacrificaſſe pro liberis ſuis ne fortè benedixerint Deum*, & alibi idem Iob. *Non peccaui & in amaritudinibus moratur oculus meus*, atque iterum Deo loquens,

Et scias quia nihil impiè fecerim, &c.

Sed ex sententiis prima fronte contradicentibus maxima nascitur obscuritas, vt Exod. 20. *Ego sum dominus* Deus *fortis, Zelotes visitans iniquitates patrum in filios in tertiam & quartam generationem.* Cui ex diametro contrariari videtur quod Ezech. 8. legitur. *Filius non portabit iniquitatem patris.* Item in oratione dominica precamur Deum, *ne nos inducat in tentationem*, & in D. Iacobo legimus, *Deum neminem tentare.* Item Paulus Roma. 3. *Arbitramur* (inquit) *iustificari hominem per fidem sine operibus legis*, Cui repugnare videtur Iacobus cap. 2. dicens, *Videtis quod ex operibus iustificatur homo & non ex fide tantùm.* Immo ipse Paulus sibiipsi in hoc negotio cõtrariari videtur cum dicit Corint. 2. cap. 3. *omnem fidem sine charitate nihil esse*, quia charitas in operatione consistit cum nunquam sit otiosa sed semper ardeat & agat. Item Exod. 20. *Honora patrem tuum & matrem tuam*, &c. & Math. 23. *Patrem nolite vobis quempiam in terris vocare.* Item Prouerbiorum 26. *Noli respondere stulto secũdum stultitiam suam & respondeto stulto secundum stultitiam suam.* Item Ioan. 10. *Pater maior me est.* Et Ioan. 14. *Pater & ego vnum sumus.* Item Ioan. 1. *Verbum caro factum est* & Math. 3. *Ego Deus & non mutor.* Item Marc. 15. legimus *illos qui cum Christo in cruce pendebant illi conuitiatos fuisse*, & Lucæ 23. *vnum tantum illorum blasphemasse legitur.* Item alicubi. *Caro mea verè cibus est*, & alibi *Caro nihil prodest.*

Hæ phrases ambiguæ, figuratiuæ, ironicæ, antiphrasticæ & prima fronte contradictoriæ non paruam doctoribus studẽdi occasionem præbuerunt,

runt, atque isti patrum sudores lucubrationesque indefessæ aut illos nobis in hac ætate (quibus Scriptura tam facilis videtur) stupidiores: aut ipsas Scripturas difficiliores quam opinamur, arguunt, & si ita non esset cur qui ab Ecclesia Romana se separarunt tot paraphrases, aduersaria, annotationes, commentarios & locos communes ediderunt? aut cur vtuntur prædicatoribus ad Scripturas, aperiendas quæ si omnibus essent perspicuæ certè diuus Petrus iurè reprehendẽdus foret cum dicat in Epistolis Pauli, *quædã esse intellectu difficilia quæ indocti & inconstãtes peruertũt vt alias Scripturas in suam ipsius perniciem.* Certè reprehendendi quoque forent & illi discipuli qui Ioan. 6. de verbis ipsius Christi Dei *dixerunt, durus est hic sermo quis potest eum audire.*

His itaque inductus mediis ad Ecclesiæ orthodoxæ inuestigationem persuadebar vt ex illa veritatem indubitatã pastoresque legitimos agnoscerem: atque iis cognitis, vt illorum voci non voluntati propriæ aut præceptis peregrinorum obtẽperare discerem, vnde fit vt hoc modo captiuum reddens meum sensum in Ecclesię obsequiũ quæ mihi antea videbantur ludicra & absurda iam adeò laudabilia Sanctáque esse agnoscam vt ingenuè confiteri cogar ab ipsis atriis porticibusque exterioribus basilicarum catholicarum ad summum altare, ab ipsa aqua benedicta vsque ad Sacrosanctæ Eucharistiæ capsulã, nihil esse quod non deuotionis & consolationis exemplum vtilissimum suppeditet: quodque non sit dæmoni flagitium, homini beneficium Deóque officium commendabile.

…otæ Eccle-
…e propriæ
… infallibi-
…s.

Verùm cum videamus Hereticos omnes quotquot fuerunt non ſolum ſibi falsò arrogaſſe Scripturas verumetiam & Eccleſiæ nomen impudenter vſurpaſſe: vt enim meretriculæ impudicæ matronarum pudicarũ amictu fucatæ incedere gaudent: ita Eccleſiæ hoſtes Eccleſiæ exuuiis tituliſque ornari ſtudent. Legimus enim hoc Irænei & Tertulliani temporibus facticatum eſſe, & Cyprianus de Nouationo memoriæ tradidit quod more ſimiarum quæ cum homines non ſunt homines imitantur: ita ille cum Eccleſiæ eſſet rebellis Eccleſiam tamen apud ſe eſſe falsò iactitabat. Ob eandem cauſam de hereticis ſui temporis cõqueritur Hilarius & diuus Auguſtinus eiuſdem impudẽtiæ Donatiſtas redarguit. Suo quoque ſeculo ſcribit ſanctus Bernardus quoſdã fuiſſe qui ſe vocabant Apoſtolicos ſe dicentes eſſe Eccleſiam veram: ſed illi Eccleſiæ quæ vt ciuitas ſupra mõtem abſcondi nequit, contradicentes. Quamobrem ne quis hac ætate dubitet vbi ſit vera Eccleſia (quandoquidem ſine illius cognitione veritatis cognitio latebit) quæ ſint illius notæ breuiter accipiat.

Sana doctrina & legitimus Sacramentorum vſus non ſunt Eccleſiæ notæ propriæ quarto modo.

Sunt qui duas tantum velint Eccleſiæ notas: Sanam doctrinam & legitimum Sacramentorum vſum: quæ quin Eccleſiæ notæ ſint negari nequit: Sed peculiares & propriæ quarto modo non ſunt, quia heretici omnes quotquot hactenus fuerunt in illis vſurpandis quàm ipſa Eccleſia vera pertinaciores ſemper fuere. Imò inter ſeipſos hodiè contendentes heretici vnuſquiſque ſibi ſoli illarum notarum gloriam vendicet, quare præter has

quęrendæ ſunt alię notæ certiores quibus omnis de Eccleſia penès quos ſit dubitatio tolli poſſit, vndè autem eas petemus? non ex tuo vel meo ſenſu aut cerebro. Nam vt ad circulum rectè formandum deſideratur centrum immobile: ſic ad has notas aptè oſtendendas oportet ex fundamentis certis quæque vtrique parti contẽdenti rata ſunt eas elicere. Eas itaque petamus ex Symbolo partim eo quod Apoſtoli ipſi collegiſſe dicuntur, quo generaliter hodiè vtũtur omnes chriſtiani: partim ex illis quę à patribus in conciliis Conſtantinopolitano & Nicæno condita ſunt. In Symbolo Apoſtolorum Eccleſia Sancta & Catholica appellatur: in Conſtantinopolitano & Nicæno vna & Apoſtolica dicitur. Vndè quatuor notas colligo quæ veræ Eccleſiæ ita proprię & peculiares ſunt vt eas ſibi nullo iure vẽdicare poſſint heretici quẽadmodum illas prędecedentes de ſana doctrina & legitimo Sacramentorum vſu.

Primò itaque dicitur Eccleſia Sancta, nõ quòd in ea ſoli iuſti ſunt & ſancti. Cùm enim Eccleſia à vocatione nomen habeat, multique ſunt vocati pauci electi certum eſt plures in illa iniuſtos quã iuſtos, malos quàm bonos eſſe. Eam ob cauſam deſignatur in Scripturis Eccleſia nomine areæ in qua ſicut & triticum ita ſunt paleæ. Vocatur ager in quo cũ tritico naſcũtur & zizania, vocatur ſagena in qua capiũtur pariter mali & boni piſces, vocatur vinea in qua ſunt palmites vuas dulces, ſunt labruſcæ acerbas proferentes: ſunt qui aliquem, ſunt qui nullum fructum ferant. Confertur gregi in quo ſunt hædi & oues, arietes & hirci,

Prima Eccleſiæ nota eſt Sanctitas.

Confertur domui in qua ſunt vaſa argentea & lignea, aurea & fictilia, quædam in honorem, quædam in contumeliam, comparatur decem virginibus ex quibus tot erant fatuæ quot ſapientes. Quamobrem permixti ſunt mali bonis in hac militanti Eccleſia. Nam in Eccleſia triumphantium (quæ in cælo eſt) ſoli boni ſunt, idem nobiſcum corpus ſed glorificatum, quemadmodum ſoli mali ſunt in inferno qui ad hoc noſtrum corpus (quod Chriſti corpus eſt) non pertinent. Itaque non ideò ſancta dicitur Eccleſia quòd non ſint in ea reiecti & improbi, putrida quidē huius corporis membra: ſed quod quicunque ſancti ſunt non niſi in hac Eccleſia ſancti ſunt: extra quam ſpecies ſanctitatis eſſe poterit, vera autem ſanctitas eſſe nequit. A meliore itaque ſui parte non à maiori ſancta dicitur. Quemadmodum exercitus inſignis dicitur magnificus, potens, elegans, fortis, non quòd vnumquodque illius membrum tales habeat qualitates: ſed quia membra præcipua eius ſunt naturæ, ſicut & Matth. 19. & 25. Eccleſia dicitur regnum cœlorum non quia tota Eccleſia cœlo comprehenditur ſed quia illis ſolummodò regno potiri conceſſum eſt qui intra Eccleſiæ ſepta Continentur.

Cur Eccleſia dicatur Sancta.

Vbi autem in canticis de Eccleſia legitur. *Tota pulchra es & amica mea & macula non eſt in te*, hoc de Eccleſia triũphante propriè dicitur quę paulòpoſt eodem capite à ſponſo coronatur. Verùm ſi cùm Beato Gregorio ad viuentes in terris referas tunc hoc ſenſu dicitur tota Eccleſia pulchra & macula carere quia viua eius membra & electa per inhæ-

Cantic. 6. Greg. cap. 18. Eccleſiaſt. dogmatum.

rentem gratiam ſunt illuſtria coram Deo nec cõtaminãtur præſentia aut conſortio improborum, & quamuis nemo iuſtus aut ſanctus peccato careat, non tamen deſinit eſſe ſanctus & iuſtus quia affectu retinet ſanctitatem & per aſſiduam pœnitentiam (vt inquit idem Diuus Gregorius) aſſiduam ſeruat munditiam, dum quotidie peccata minuta lachrymis abluit, & à maioribus abſtinet. *in 4. cap. Cantic.*

Dici quoque poſſit Eccleſia Sancta id eſt ſanguine Chriſti tincta: *Chriſtus enim eam lauit à peccatis ſuis in ſanguine ſuo, qui ſic eam dilexit vt ſeipſum pro illa traderet vt eam ſanctificaret atque ab operibus carnis emundaret ſanguine ſuo*, atque hac ratione vt inquit Auguſtinus in Pſal. 89. fideles omnes olim ſancti vocabantur. *Apoc. 1. Epheſ. 5. Hebr. 4.*

Sunt etiam & aliæ cauſæ quamobrem Eccleſia dicitur ſancta: quibus prętermiſſis ad eam venio quæ propriam & peculiarem Eccleſiæ catholicæ notam includit. Apud eos qui Latinè ſcripſerunt ſanctum dicitur quod ita munitum firmumque eſt vt violari facilè neque poſſit neque debeat, ſic lex ciuilis muros ciuitatis vocat ſanctos, tribunos ſanctos, ærarium ſanctum, Baſilicas ſanctas, atque hac ratione propriè vocatur Eccleſia Sancta quia illa nihil firmius nihil fortius. Chriſto enim dicata eſt, cui quod dedit pater nemo poteſt eripere Ioan. 17. vel quia ſupra petram edificata eſt, *Ita vt neque pluuiæ, neque flumina, neque venti irrumpentes eam ſubuertere poſſunt: atque adeò ne portas quidem inferorũ contra eam prævalituras*, dixit Chriſtus. Matth. 7. & 16. *Habet enim firmum & ſtabile fundamentum de quo dicit Apoſt.* 1. Corinth. 3. *Fun-*

damentum aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt quod eſt Chriſtus Ieſus. Huic fundamento cũ innitatur nulla eſt, neque fuit, neque erit vis tanta quæ ſuperari poſſit. Ideo Chriſoſt. Tom. 5. Homelia de expulſio. Sancti Chriſoſt. Fortiorem eam terra, imò fortiorẽ eſſe dicit ipſo cælo vbi radices eam fixas habere affirmat: ſolem vt extingui ſit facilius quàm Eccleſiam eradicari. Hęc eſt illa terra quam fundauit Deus in ſecula de qua dicit Propheta. *Fundaſti eam ſuper ſtabilitatem ſuam & non inclinabitur in ſeculum ſeculi.* Eſai. 60. hoc eſt illud regnum de quo ſcriptum eſt, *Regnum ipſius omnibus dominabitur: de* quo toties Propheta clamat. *Gens & regnum quod non ſeruierit tibi peribit.*

Ex præcedentibus itaque ſic argumentor, illa Eccleſia quæ hucuſque ſemper terribilis extitit vt *acies armatorum benè inſtructa.* Cant. 1. 6. Illa Eccleſia quam neque falſi fratres neque aperti hoſtes hucuſque nec ſupplantare nec peſſundare potuerunt: illa Eccleſia quæ cum Pſalmiſta dicere poteſt Pſal 128. Quoties à iuuẽtute mea inuaſerunt me ſed vincere non potuerunt. Illa Eccleſia quæ (vt ait Iuſtinus martyr in Colloquio contra Tryphonium) vt vinea dum iugatur erigitur & reciſa non minuitur ſed augetur, quę dum ligatur, ſoluitur: dum humiliatur attollitur & vt ait Hilarius lib. 7. de Trinitate quæ in perſequutionibus floret, in oppreſſionibus creſcit, in contemptu proficit: quæ dum læditur vincit, dum arguitur intelligit & firmiſſimè ſtat cum maximè ſuperari videtur. Illa inquam Eccleſia firmitate & robore prędicto munita ſola inter alias Eccleſias Chriſti

nomine vtentes Sancta in ſanctitatis propria ſignificatione dicenda eſt. Sed iſta firmitas inuincibilis contra omnes fortunas in Eccleſia Catholica Romana eiuſque Eccleſiis infantibus ſolummodò reperitur. Eam enim neque Pagani omni ſuppliciorum genere de piis ſumendo, neque Tyranni libertatem eripiendo, neque falſi fratres charitatem exterminando, neque Iudęi fidem impugnando, neque Schiſmatici obedientiam tollendo & eius vnitatem ſcindendo, neque heretici Scripturas adulterando, obſcurando & prauè interpretando extinguere potuerunt (cum omnes aliæ Eccleſiæ quæ ex illa exierunt nullum ſtabilitatis ſuæ monumentum antiquum edere poſſint, ſed inſtar illius Theudæ & Iudæ Galilæi act. 5. perierunt pro maiori parte antequam habebāt fundamenta iacta. Vnde concludo hanc primam Eccleſiæ notam nempè ſanctitatis ſoli Eccleſiæ Romanæ ſuiſque infantibus obedientibus propriam eſſe & peculiarem.

Per ſecundam notam Eccleſię dicitur catholica: quod nomen explicans Auguſtinus. Sermo. 131. & 181. de tempore, Catholicam inquit toto orbe diffuſam, cum hereticorum Eccleſiæ ideò non dicūtur catholicæ quia prouinciis, regniſque paucis continentur: hæc verò à ſolis ortu vſque ad occaſum vnius fidei ſplendore diffunditur, & quā Græci catholicam eam Latini vniuerſalem nominant: pertinet enim ad vniuerſa loca, vniuerſa tempora vniuerſa hominum genera id eſt ad nationes vniuerſas.

Secunda nota Eccleſiæ eſt vniuerſalitas.

Quod ad omnia loca pertineat docet Scriptu-

ra quæ dicit. *In omnem terram exiuit ſonus eorum & in fines orbis terræ verba illorum.* Pſal. 19. & Apoſtoli per totũ mundũ ire iũſſi ſunt ad Euangeliũ prædicandum omni creaturæ, quod vtique fecerunt. Marc. vltimo. Hinc eſt quòd Romanorum 1. Romanos commendans Paulus fidem illorum toti mundo annunciari affirmat.

Quòd Eccleſia habeat temporis vniuerſalitatem ipſa Scripturę hiſtoria manifeſtè oſtẽdit quomodo ab Adamo vſque ad diluuium: à diluuio ad Moyſen: à Moyſe ad benedictum Meſſiam continuata ſit: & poſt Meſſiam vſque ad pręſens ſeculum Scriptores Eccleſiaſtici in vnaquaque cẽturia ad hãc vſque ætatem decimam ſextam ſcribentes, eiuſdem continuationem apertè indicant. Sumpſit igitur Eccleſia initium ſimul cum orbe condito duratura vſque ad orbis conſummationem, eam enim Deus in æternum fundauit cum dixit Matth. 28. *Ego vobiſcum ſum vſque ad ſeculi cõſummationem*, & Luc. 21. *Non præteribit generatio hæc (nempe Eccleſiæ) donec omnia fiant.*

Et quod Eccleſia comprehendat omnia hominum genera cuiuſcunque ſtatus, conditionis, ætatis, ſexus, gentiſue fuerint teſtis eſt Paulus dicens, *Non eſt in ea perſonarum diſtinctio, Iudæi & Græci: non eſt in ea circunciſio & præputium: non barbarus & Scytha: non ſeruus & liber: non maſculus & fœmina: ſed omnia in omnibus Chriſtus idem dominus omnium diues in omnes qui inuocãt eum*, atque iterũ. *Redemiſti nos in ſanguine tuo ex omni tribu, lingua, populo & natione & feciſti nos Deo noſtro regnum*, & actorum quinto dicit Petrus. *In veritate comperi*

Roma. 10.

Coloſ. 3.

Apoc. 5.

Ioel. 2.

quia

quia non est personarum exceptor Deus, sed in omni gẽte qui timet eum & qui operatur iustitiã acceptus est illi. Si ergo per omnia loca, per omnia tempora, per omnes gentes & nationes dispersa est & diffusa Ecclesia, certè qui post octuaginta annos cum Donatistis de sua paucitate gloriantur malè sibi consulũt cum regis nostri dignitati ea in re detrahãt, vt alicubi contra Donatistas Augustinus, præsertim cum scriptum sit, in multitudine populi dignitas regis & in paucitate plebis ignominia principis: habet & semper habebit integrã Christus hereditatem & possessionem suam terminos terræ, se potiùs subtrahunt huic magnæ hęreditati qui Christo illam conantur substrahere, non enim destituet dominus plebem suam quæ est sicut arena maris: nec cõtentus erit paucitate quorundam qui omnes redemit, *Cum non parua, sed copiosa redẽptio sit apud eũ.* Psal. 129. Legim⁹ Eunomium hoc aliquando postulasse ne maiori parti néue antiquioribus plus satis tribueretur. sed eum Basilius. lib 1. contra Eunomium audiendum non esse putauit, cui indignum videbatur non plus antiquitati quàm nouitati dare, & pari modo reuereri paucitatem deficientium & multitudinem perseuerantiũ, tam eorum qui sunt quàm qui aliquando fuerunt notabiles Euangelij satellites.

De paucitate cum Donatistis non est gloriandum. Psal. 85. Prouerb. 14. Psal. 2.

Atque in hac multitudine generali adhuc cõprehenditur altera Ecclesiæ nota nempe visibilitas. Nota profectò quantumuis oppugnata, multis tamen Scripturæ sacrę testimonijs confirmata Matth. 18. *Iubemur dicere Ecclesiæ, audire Ecclesiam* &c. quę præcepta quãdoquidem christianis om-

Ecclesia semper fuit & est visibilis.

nibus vsque ad mundi finem data sunt, proculdubiò Ecclesiam semper fore visibilem demonstrant: cui frustrà aliquid diceremus, frustra conqueremur nisi visui sensibusque nostris esset obnoxia. Deum quidem inuisibilem alloquimur & precamur quia spiritus est: sed alloqui corpora visibilia inuisibiliter illud phantasticum nimis est & absurdum. Aliter profectò Psal. 18. sentiebat Regius ille vates cùm diceret Deum, *Posuisse tabernaculum suum* (id est Ecclesiam) *in sole*, vt omnibus conspicua esset & visibilis, aliter sentiebat Euangelista Matth. cap. 5. cùm diceret Ecclesiam *ciuitatem in monte positam quæ abscondi non potest.* De qua Esaias & Michæas prædixerũt, *Erit in nouissimis diebus præparatus mõs domus domini in vertice montiũ & super colles eleuabitur & fluent ad eam omnes gentes & ibunt populi multi.* Hic est ille mons quem vidit rex Nabuchodonosor ex lapide sine manibus excisò creuisse in montem magnũ & orbem vniuersum impleuisse, in quo cõminutis regnis aliis vniuersis iuxta Danielis interpretationem Deus cœli suscitauit regnum quod in æternum nõ dissipabitur & alteri populo non tradetur. Hoc Danielis loco vtens sanctus Bernardus contra hereticos sui temporis. Itane (*inquit*) *lapidem de monte abscissum sine manibus, montem factum & implentem mundum, vestris creditis inclusum antris*, de hoc mõte nemo christianus se labi patiatur: quod si quis dixerit homini christiano sicut olim dixerat Christo ipse diabolus, *Si filius Dei es mitte te deorsum*: quãtũ libet multa diuinę legis oracula produxerit ipsi diaboli vestigia sequutus, absit tamen vt in animũ

Esai. 2.
Mich. 4.
Dan. 2.
Bernar. Sermon. 66. in Cantic.

christiani catholici ingrediatur vnquã, vt talibus imposturis consentiat, deinde si quis dixerit Ecclesiæ, *Ecce hic est Christus: ecce illic: monet nos ipse Christus* dicens *nolite credere, & si dixerint ecce in deserto: nolite exire,* ecce *in penetralibus domus: nolite sequi,* & ratio est, quia non est caput nisi in suo corpore neque Christus nisi in sua sancta catholica Ecclesia: Ecclesia porro catholica ibi est vbi est fides catholicorum, catholica non particulariũ particularis, atque fides catholica ea est vt iam diximus quæ per vniuersum orbem eadem semper annuntiatur nec vel tempore vel locis variatur, à qua si quis dissentiat is catholicus non est sed schismaticus aut hereticus, quia singularem quandã oppinionem nõ vnam communem omnium fidem complectitur.

Sed ad Ecclesiæ visibilitatem adhuc reuertens ita insisto. Propterea quod necessarium est in Ecclesia habere fidẽ, quæ vt ait Apostolus est ex auditu: oportet habere verbi prædicationẽ. & prædicatores, sacramẽtorũ ministrationẽ, eleemosynæ collectionẽ & distributionẽ, conueniendi loca, &c. Certè risui excipiendum est si quis dixerit has omnes Ecclesiæ circunstantias (pro maiori parte necessarias) inuisibiles esse: & si illæ sunt visibiles certè Ecclesia inuisibilis esse nequit. Verũ quod obiicitur de Elia, cũ diceret se solum ex tota Ecclesia superfuisse, puerile nimis est historiam ipsam diligẽter legẽtibus. Vbi manifestè respõdet Eliæ, Deus, se septem millia reseruasse qui coram Baal nõ flexerũt genu, atque iste numerus procul dubiò non omninò erat inuisibilis. Deinde cer- *Reg. 3. cap. 19.*

tum est Eliam fuisse in Samaria cùm ita expostularet vbi profectò tunc temporis per tyrannidem Achab & sanguinolentæ Iesabel Ecclesiæ splendor extinctus erat: loquebatur itaque Propheta de Ecclesia Samaritana non generaliter de tota Ecclesia Hebraica quæ eodem tempore Hierosolymis sub Rege Iosaphat splẽdidissimè florebat. Præterea si dicerem Ecclesiam Eliæ illo tempore non apparuisse, non sequeretur illam omninò fuisse inuisibilem, quia Prophetæ quamuis multa, tamen non omnia cognouerant sed ea quæ illis
Reg. 4. cap. 4 reuelata fuerant. Quemadmodum non puduit Elisæum (cui duplicatus erat Eliæ spiritus) alicubi dicere, *& hoc mihi fuit absconditum.*

Itaque vt huic notæ secundæ finem imponam. Iudicemus quæso omni remota passione cui Ecclesiæ fidem christianam hodiè profitenti maximè conueniat hoc vniuersalitatis temporum, locorum, & personarum epithetum. Reperieturne earum aliqua præter Ecclesiam Catholicam Romanam (& quæ eam sequuntur) quæ fide dignas huius negotij historias exhibere poterit quibus probabit se à tempore Apostolorum indesinenter hucusque & visibiliter per totum orbem diffusam fuisse quẽadmodũ Romana & fuit & est videlicet per Europã, Asiam, Africã, Americam. In Europa ecce potentissima regna Galliæ, Hispaniæ, Italiæ, &c. profitentur fidem Apostolicam Romanam: Imò in illis Europæ nationibus quæ à sede Romana defecerunt (vt in Germania, Anglia, Scotia Dania) magnus reperietur Catholicorum numerus qui quotidiè augetur non diminuitur. In Asia

vigintiduo ſceptra Abyſſina Presbytero Ioanni ſubiecta Liturgiam ceremoniaſque diuinas ſecundum vſum Romanum celebrant. Item Patriarcha Conſtantinopolitanus & ſi quæ aliæ adhuc ſunt Eccleſiæ Grecæ idem faciunt: ducentiſque abhinc annis in Concilio Florentino eædem Eccleſiæ Grecæ, Romanæ ſedi ſeſe ſubmiſerunt, & qui ad ſanctum ſepulchrum peregrinantur ſciunt Franciſcanos, Chriſtianoſque omnes illic viuentes primatum Romanum agnoſcere. Quemadmodum & Patriarcha Alexandriæ anno 1598. Petri limina ſalutans obſequium debitum Beatiſſimo Clementiſſimoque Papæ Clementi octouo præſtitit. In Africa quoque multi ſunt Catholici Romani præſertim vbi ſereniſſimus Rex Catholicus imperat. Et in America multi Reges Regnaque barbara ad Eccleſiam Catholicã Romanam quotidiè conuertuntur. Quæ quoniam plus aliis Eccleſiis Chriſti nomen vſurpantibus viſibiliter & vniuerſaliter hucuſque ab Apoſtolorum temporibus floruerit, iure optimo hanc ſecundam Eccleſiæ notã (quæ vniuerſalitatis nomine comprehenditur) præ cæteris meretur. Verùm cùm mihi obiiciunt contrarium eſſe in adiecto quandò Eccleſiam Catholicam, Romanam appello: quia locus (vt aiunt) Romæ particularis locorum generalitati contrariatur. Reſpondeo. Nullã hîc eſſe contrarietatem aut abſurditatem maiorem quàm cùm dicimus Eccleſiam Catholicam eſſe Apoſtolicam, quia cùm Eccleſiæ vniuerſalitas conſiſtat potiùs in perſonis quàm in locis, & tamen illa perſonarum vniuerſalitas (ſine aduerſariorũ ſeru-

Non eſt contrarium in adiecto cum catholica Eccleſia dicitur Romana.

pulo) Archetypo vel norma particulari Apoſtolatus (quo fungebantur ſolummodò duodecim perſonæ) limitatur : quid impedit omnia Eccleſię loca vnico loco principali tanquam Archiuo exẽplari comprehendere : potiſſimùm cùm Apoſtolus Roma. 1. fidem Eccleſiæ vniuerſalis vniuerſalem, fidem Romanam appellauerit cùm dicit illorũ fidem annunciatã eſſe per vniuerſum orbẽ.

Tertia nota Eccleſiæ eſt nitas.

Tertia Eccleſiæ nota eſt Vnitas qua dignoſci poſſit ab iis qui vel præciſi ſunt ab ea (cuius generis ſunt quibus interdictũ eſt piorum cœtu quos excommunicatos vocamus vel qui ipſi ſe vltrò pręciderunt, quales ſunt Schiſmatici : quos cùm in tot ſectas miſerè diſſectos videamus, manet tamen Eccleſia vera vna & ſibi ipſi ſemper conformis, de qua ſponſus in Canticis clamat, *Vna eſt columba mea, vna eſt matri ſuæ.* Atque hanc illius vnitatem ſignificauit inconſutilis illa Chriſti tunica quam qui Chriſtum crucifixerunt milites, non ſcindendam ſed ſecundum illud quod prædixit Propheta ſortem ſuper eam mittendam eſſe pronuntiabant. Item hanc vnitatem ſignificauit vna illa domus in qua commedebatur agnus qui figura fuit illius agni intemerati qui tollit peccata mũdi & ab origine mũdi occiſi. Hoc quoque expreſſit Apoſtolus cùm dixit. *Vnum corpus, vnus Spiritus, ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ*, quibus verbis dicere velit, quòd quemadmodum multa membra vnum faciũt corpus, & quemadmodum omnia vnius corporis membra vnico tantum ſpiritu mouentur : ita omnia corporis Chriſti myſtica mẽbra vnã tantũ faciũt Eccleſiã ſéque vnico

Reg.

Cantic. 6.
Ioann. 9.
Pſal. 21.

Exod. 12.
Apoc. 13.

ſpiritu regi, pati debeāt, vt vnum idemque ſapiāt, dicant, cogitent: breuiter vt vno ore, vno corde iiſdem in religione regulis (quantumuis habitibus differentibus) trinitatem vnam & vnitatem trinam colant ſupplices & adorent.

Vndè colligo eam Eccleſiā quæ terra eſt vnius labij, in qua vnus Chriſtus adoratur, vna regula veritatis obſeruatur, vbi vnum eſt cor totius multitudinis credentium, anima vna, moduſque vnus in cultu diuino, colligo (inquam) eam ſolam iurè Eccleſiam Sanctam Catholicam appellandam.

Sed inter omnes illud nomen vſurpantes hæc concors vnitas ſolummodò in Eccleſia Romana Catholica reperitur: quæ cùm ex multis conſtet Eccleſiis per orbem vniuerſum longè latéque diffuſis, linguarum morũque diuerſiſſimis, vnam tantùm faciunt Eccleſiam eoſdem ritus eaſdem vbique ceremonias ſeruantem: quin & lingua penè non niſi vna & eadem ſacrificia diuina peragentem laudeſque Deo pſallentem, vt ſi quis etiã ab extimo orbis angulo veniat homo Chriſtianus (cultus diuini identitatem vbique perſpiciẽs) intelliget cor vbique eſſe vnum, animam vnam, ſpiritum vnum, & ſi aliquando inter huius Eccleſiæ Romanæ Symiſtas de aliquo religionis capite oriatur quęſtio: quantumuis ſint periti & in ſuis opinionibus pertinaces ſe tamen ſuaſque ſententias omnes vni ſedi Catholicæ Romanæ ſubmittunt: id quod meis oculis Romæ vidi anno Iubileo 1600. Ieſuitæ enim, & Iacobini cũ de præſciẽtia Dei moleſtam inter ſe haberent diſputationem miſſis romam ex vtraque parte procuratoribus

census suos spirituales pro pedibus successoris Petri proiicientes cum omni reuerentia debita sententiæ collegij Apostolici acquiescentes concordes contentique domum reuersi sunt, quemadmodum & anno præsenti 1601. quæ est inter Iesuitas & Presbyteros, Anglos controuersia de personis maximè idoneis ad fidem Catholicam in anglia restaurandam (non de ipsa fide aut religione Catholica) eidem Beatissimo Pontifici iudicanda remittitur.

Sed ista vniuersalis vnitas obedientiaque Christiana inter alias sectas Ecclesiæ nomen vendicãtes nequaquam reperietur. Illi enim odiis viperinis inuicem æstuantes nullos controuersiarum iudices admittunt (nam vnus alteri cedere contemnit) neque tam à Catholicis quam à seipsis confecti sunt quotidièque conficiuntur, cuius rei manifestum habemus exemplũ in iis qui post octuaginta annos sibi singulares opiniones eligentes ab vniuersali Ecclesia se separarunt. Ecce Martinus Lutherus Anabaptistas, Zuinglium, Carolostadiũ Ælolampadium aggressus est, & qui se Protestantes non Lutherani dici volunt Lutheri dogmata despiciunt, deinde Ioachimus Vestphalus, Hesshusius, Castalio, Casanouius, Molinæus, Morellus, Bernẽses, Ioannẽ Caluinũ expugnare studẽt. Itẽ Castalio, Brentius, Smedelinus & pleríq; alij vexant, Theod. Bezam. Denique in infinitas dissecti sectas ità inuicem inter se digladiantur vt aliud nullum errorum suorum maius aut euidentius argumentum edere possint: cùm in vno collegio duos aliquando reperire vix liceat qui sibi inuicem

inuicem omni ex parte consentiant. Vndè illud à Georgio Saxoniæ duce aliquandò dictum fuisse commemoratur. Se quidem scire quid eo anno crederent vicini sui Vuitembergenses: quid verò proximo anno crediturí essent nullum mortalem scire posse quia tam crebrò dogmata sua variarẽt. Atque istius diuisionis exemplum manifestissimũ in Britania nostra maiore reperitur. Vbi inter Protestãtes Anglos & Scotos non parua est disceptatio, de Primatu, de Episcoporum authoritate de habitibus & diebus festis. imò in vtroque regno qui protestantes sunt inter se dissidẽt: quemadmodum in Anglia prẹlati & puritani: & in Scotia ministri ipsi non paruas habent inter se velitationes pro Episcoporum restitutione. Neque omninò inter se conueniunt ministri Geneuenses. cum Georgius Periot ille Bezæ æqualis maiorem prærogatiuam Episcopo Romano quã aliis debitam esse, & Episcopos iniuria Geneua expulsos fuisse affirmet: quod nemini ignotum esse poterit qui post duos annos Geneuæ diuersatus est. Itaque hodierno die vsu venit quod Hilarius sua ẹtate miserabile esse conquestus est, nempè, *tot esse fides quot voluntates, tot doctrinas quot mores, tot blasphemiarum causas quot curiosorum capita.* Sed illorũ bellum pax est Ecclesiæ: quia dum sibi inuicem aduersantur fidem Catholicam confirmant: illisque euenit quod viatoribus vsu venire solet qui quandò à recto itinere aberrarunt alij alias semitas inuestigantes relicta via regia vagantur & errant nullum peritum ducem sequi dignantes: sic isti duce carentes Ecclesia, Ecclesiæque via.n

Hilar. in lib. ad constantiũ anguſtum.

regiam deferentes cùm semel de rectæ fidei religionisque orbita deflexerint alij alia curiositatis diuerticula ingressi capitibusque id est opinionibus dissecti, cauda tantùm (vt illæ Samsonis vulpes) colligati, in sola vnius Sanctæ Ecclesiæ Romanæ oppugnatione concordes sunt: sibique inuicem vt ait Rupertus linguas exedunt cùm vnusquisque condiscipuli aut magistri sui opiniones refutandas esse censet. Quemadmodum Melancthon Lutheri, Zuinglius Melãcthonis, Caluinus Zuinglij, Seruetus Caluini dogmata impugnauit, atque hi in infinitas sectas dissecti vnitatis charactere omnes destituuntur.

Relinquant itaque si sapiant amarulentas contradictionis aquas altariaq; oppositionis sanguinolẽta & Babylonicã istam linguarũ differentiã, permittentes se instar illius ouis errantis vinculis Ecclesiasticis ligari & ad gregem nonaginta nouem reduci: aut potiùs seipsos non colligati sed volentes cũ filio perdito coram pedibus piẽtissimi Patris Pontificis prosternent vt illis palmam reconciliationis pro vitulo pingui, hymnosque absolutionis pro instrumentis musicis propinans in familiam Ecclesiæ cum totius Ecclesiæ gaudio recipi & inseri possint. Sin secùs fecerint profectò difficulter probabunt se Ecclesiæ Catholicæ, (quæ vna est) membra esse multò minus totius Ecclesiæ nomen mereri; quod nomen iam per vnitatis (quemadmodum anteà per sanctitatis & vniuersalitatis) prerogatiuam soli Ecclesiæ Romanæ illique adhærentibus Ecclesiis conuenire luculenter ostẽdi.

Per quartam notam Ecclesia dicitur apostolica:

quam cum Apostolicam vocamus Patriarchas & Prophetas non excludimus: neque enim ab Apostolis sed ab ipso Adamo exordium sumpsit Ecclesia quæ edificata est super fundamentum Prophetarum & Apostolorum. Nam quod Apostoli factum esse prædicarunt id Prophetæ futurum fore prædixerunt. Dicitur interim Ecclesia Apostolica in qua & doctrina Apostolorum & legitima est Episcoporum successio à temporibus Apostolorum ad hæc vsque nostra deducta. Porrò doctrina Apostolorum non scripto tantum verùm & traditione constat: quos quæ ad confirmãdam Ecclesiam, quæ ad fidem quæ ad religionẽ, quæ ad ritus & cæremonias pertinent multa docuisse dubium non est quę nusquam scripta reperiuntur. Eam ob causam scribens ad Thessalo. dicit Apostolus, *State & tenete traditiones quas didicistis siue per sermonem siue per epistolam nostram*, quibus verbis palàm indicat præter ea quæ scripserat se non minus præclara (quin & præclariora) solo sermone dedisse cum sermonem priùs quàm epistolam nominat. Id quod vel indè magis liquet quòd Diuus Hieronymus epist. ad Paulinum dicat voci viuæ maximam inesse vim. Habet (inquit) viua vox nescio quid latentis energiæ, & in aures discipuli de authoris ore diffusa fortiùs sonat. Vnde Æschynes cũ Rhodi exularet & legeretur illa Demosthenis oratio quam aduersus eum habuerat, mirantibus cunctis atque laudantibus suspirans respondit æschynes quid si ipsam bestiam audiretis sua verba resonãtem? hęc Hieronymus. Item adhuc Diuus Paulus. Qua ra-

Per quartam notam Ecclesia dicitur Apostol ca. Ephes. 2.

Cùm doctrina Apostolica coniũge idæ sunt traditiones apostolorum.

cap. 2. epist. 2.

piſt.1.cap.1. tione cœnæ dominicæ memoria celebrari debeat verbo tradidiſſe videtur. Ita enim dicit ad Corint. Scribens: *cætera (nimirùm* de Sacramento Euchariſtiæ) *cùm venero diſponam*, ex quo loco Auguſtinus ſcribẽs ad Ianuarium, à Paulo affirmat totum illum ordinem agendi quem vniuerſa per orbem Eccleſia tenet in prædicti Sacramenti adminiſtratione inſtitutum fuiſſe, vt nulla in poſterum morum diuerſitate violaretur. Similiter & alio loco ſic dicit idem Apoſtolus. *Laudo vos fratres quod per omnia mei memores eſtis & ſicut tradidi vobis præcepta mea tenetis*, & rurſus eidem Timotheo ſcribens: *quæ audiſti (inquit) à me per multos teſtes hæc commenda fidelibus qui idonei erunt & alios docere.* Quibus ex verbis illud intelligere licet quod & etiam ab Irenæo ſcriptum eſt. De multis rebus quæ literis mandatæ non erant edoctam ab Apoſtolis recentem naſcentemque illam Eccleſiam fuiſſe, quas ſucceſſores Apoſtolorum Epiſcopi ſibi per manus ab illis traditas ſuis ipſi viciſſim ſucceſſoribus Eccleſiæ Epiſcopis tradiderunt.

2. Timot.2.

lib. 3. cap. 4.

Hereticum eſt & antiquitùs dãnatum ſolis Scripturis niti.

Quamobrem quicunque ſe Catholicam Eccleſiam credere profitetur eum non modò quæ ſcripta verùmetiam quæ tradita & recepta ſunt credere opottet, alioqui in fundamentis fidęi periclitabitur, neque enim alia re magis differre viſi ſunt antiquitus heretici à catholicis quã quòd illi ſolas recipiebant Scripturas: hi verò traditionibus etiã Eccleſiaſticis inherendum eſſe cenſebant. Sic Hilarius eo quoque tẽpore cùm dixiſſet quidam nolo verba quæ non ſcripta ſunt dici. Dic inquit priùs ſi rectè dici putas, nolo aduerſus noua vene-

Hilar. in lib. ad Conſtan. Auguſt.

na nouas medicamẽtorum comparationes: nolo aduersus nouos hostes noua bella: nolo aduersus nouas insidias consilia recentia: & in hoc negotio hęc sunt Athanasij verba, cum ex Theognosto, Dionysio Alexandrino & Origine probasset filium eiusdem esse essentiæ cum patre. Ecce (inquit) nos quidem ex patribus ad patres per manus traditam hanc sententiam demonstrauimus: vos autem noui Iudæi & Caïphæ discipuli quos tandem opinionum vestrarum præter vos metipsos potestis ostendere progenitores. *In lib. de decretis Nic. Syno.* *lib. 1. cap. 8.*

Atque hoc est quod apud Theodoretum legimus ex non scriptis sermonibus piè tamen intellectis Arrianos esse damnatos. Nam cum reiicerent vocem ὁμοούσιος quia nusquam in Scripturis legebatur, Athanasius & qui cum eo steterant Episcopi Catholici testimonio patrum qui Doctrinam hanc ab Apostolis receperunt, eos refutarunt: vndè fœlix Pontifex ad Benignum scribens testatur Apostolorum esse traditionem quòd filius dicatur eiusdem essentiæ cum Patre. Scimus etiã quòd è Scripturis Eluidius inpugnauerit Mariæ genetricis castissimę virginitatem, & Donatistæ paruulorum Baptismum: Sed sicut illũ Hieronymus ita hos Diuus Augustinus Ecclesiæ traditione refellit. *Traditionum vsus & necessitas explicatur.*

Cuius quidem traditionis Apostolicæ Ecclesiasticæque tanta vis est vt non solum sibiipsi verũ etiam vniuersæ Scripturæ fidẽ faciat, sitque instar Lydij lapidis ad omnem Scripturã examinandam. Nam cùm in Scripturis nulllum reperiamus librorum canonicorum catologũ expressis verbis *Per Ecclesiæ traditionem discernitur inter Canonicas & Apocryphas Scripturas.*

nobis relictum oportet aliunde inueſtigare illorũ certitudinem, quam nunquam inueniemus niſi traditioni Eccleſiaſticæ locum dederimus, quia cùm dicis certitudinem indubitatam rerum omnium ad fidem & ſalutẽm pertinentium Scripturis debere expreſſis verbis contineri, hîc librorum Canonicorum authoritatem labefactas: cùm in Scripturis nõ legatur qui ſint aut nõ ſint Canonici: verùm ſi dixeris (quemadmodum & egoipſe aliquãdo pertinaciter ſuſtinui) te interna ſpiritus ſancti virtute illuminatũ eiuſdem ſpiritus ſtilum in illis agnoſcere atque adeò certitudinem infallibilem concepiſſe: tunc quod toti Eccleſiæ tribuere nefas opinaris id tibi ſoli tuóque ſpiritui imaginatiuo Anabaptiſtarum more arroganter adſcribis, & ſi dixerit Catholicus aliquis ſe per traditionem aut authoritatem Eccleſiæ ſcire quæ ſint ſcripturæ canonicæ: affirmabis infirma eſſe ſaluationis media quę authoritate aut traditione humana nituntur. Tu tamen vnus homo idipſum facis quod omnibus improperas. Sed adhuc replicas te non ex teipſo ſed ex ſpiritu ſancto certitudinem habere talem vt pro cæcis & reprobis omnes habẽdos exiſtimes qui ita tecum non ſentiant veliſque tuum ſcire omnibus eſſe ſcientiam inexpugnabilem. Reſpondeo. Credendum eſſe Patres conciliaque priſca qui authoritate ſua eoſdem libros pro authenticis nobis tradiderunt parem ſi non maiorem ſpiritus ſancti illuminationẽ habuiſſe, cùm ſanctitate, antiquitate & doctrina te longe ſuperauerint. Illorum itaque authoritati venerabili tua inſpiratio variabilis & illorum tra-

ditioni laudabili tua temeritas illaudabilis cedat neceſſe eſt: atque tuæ inſpirationis certitudinem incertam non alia ratione operepretium eſt cõfundere quam quòd omnes ſectæ Romanam Eccleſiam imperentes eiuſdem ſpirituſſancti peculiarem ſibi prærogatiuam vendicent. Sed percuſſi ſunt cæcitate mentis ita vt alter in alterum inſcius impingat, & cum Samſone (ni tempeſtiuè reſipiſcant) fortitudini ſuæ ſpeculatiuæ confidentes periculum eſt ne ſubuerſo rectæ rationis domicilio ſe ſuarumque opinionum ſocios temerarij obruant. Veruntamen quia neſciunt quid faciunt illis ignoſcendum atque cum Eliſeo illis dicendum eſt, *hæc non eſt via*: quia oculis capti vt illi Regis Syriæ ſatellites cum Dothaim ire velint ad Eliſei diuerſorũ, rectà tẽdunt Samariã. 4. Reg. 6.

Atque in hac pertinacia perſeuerantes imitantur hereticos antiquos quorum quidam omnia probari voluerunt ex Sacris Paginis vt Arriani & Donatiſtæ: quidam eos tantum Scripturæ libros agnouerũt qui ſuis erroribus ſtabiliẽdis maximè conueniebant. Ita Carpocrates & Manichæus totum vetus teſtamentum damnarunt. Cordon & Cerynthus Euangelia omnia prætorquam lucæ. Seueriani Actus Apoſtolorum ſuſtulerunt. Ebionitæ omnes epiſtolas diui Pauli. Alogiani Apocalypſin pro Cerynthi figmento habuerunt. Ita nullus ferè extat liber canonicus cui non cenſoriæ ſeueritatis notam inuſſerunt nouatores cum minus errori ſuo fauere viderẽtur. Verũ vt tãto malo ſuccurreretur inſculpſit Deus in corde Eccleſiæ numerum aut cathologum librorum canonicorũ

constituere, qui inspiciendus esset cum de authoritate alicuius libri dubitaretur, atque omnes illi libri nominati sunt ante annos 1200. in Concilio Carthaginensi (cui beatus Augustinus adfuit) & in Epistola beati Innocentij ad Exuperium cap. 6. Quos etiam anteiso. annos celeberrimum illud Concilium Florentinum, Latinorum, Græcorũ, Armeniorumque Patrum & Legatorum consensu & frequentia celebratum Recensuit: quemadmodum & nostra ætate Tridentina Synodus eosdem comprobauit.

Credimus ergò Scripturis canonicis & eas pro canonicis habemus (quãuis nullius eorum in Scripturis cathologus reperiatur) quia sic à tempore Apostolorum per laudatam sibi inuicem succedentium Episcoporum consuetudinem traditiuam de manu ad manum nobis traditę sunt, hãc ob causam Augustinus ipse verbis expressis asserit Ecclesiæ *traditionem recte definire etiam ἀχεαφα necnon Scripturæ canonem ipsum constituere.* Atque per hanc Ecclesiæ authoritatem traditiuã reiiciũditur Euangelia nomine Thomæ & Bartholomæi Apostolorum & Nicodemi discipuli, edita, & recipiunditur illa Lucę & Marci qui neque Apostoli erant neque discipuli.

Tom. 7. contra Cresconiũ lib. 1. cap. 13.

Videmus itaque in capitibus fidei maximè necessariis expressa Scripturæ verba non semper inueniri: id quod adhuc vnico verbo luculentiùs demonstrabo. Nulla nobis expressa Scriptura dicit tres personas vnũ esse Deum: atque adeò ne reperitur personæ nomen in Scripturis de Deo dictum sicut nec Trinitatis. Nos *tamen tres personas dicimus*

dicimus & Trinitatem dicimus: non quia Scriptura dicit sed quia Scriptura non contradicit (vt inquit Augustinus) & quia sic ab Apostolis & eorum successoribus accepimus. Quorum etiam traditionem esse vt paruuli baptizentur, testantur Dionysius & Origenes.

lib. 7. de Trinita. cap. 4.

Dionys. cap. 7. de Hierarch. Orig. lib. 5. cap. 1.

Deindè Symbolum Apostolorum quòd Augustinus (Tom. 10. Serm. 115. de tempore) ab Apostolis ipsis, confectum narrat, & ad cuius Analogiam omnis Scriptura interpretari debeat, nusquam tamen in Actis Apostolorum aut in aliqua noui testamenti parte illius collationis aut collectionis mẽtionem reperimus.

Breuiter nusquam in sacris paginis iubemur mutare Sabbathum in diem Dominicam sequentem: verùm nobis quotidiè inculcatur Decalogi præceptum inhibitiuum. Nusquam iubemur cœnam dominicã Sacramentum appellare: nusquam ieiuni, sed aut intercœnandum aut post cœnam mensę Dominicæ cõmunicare. Denique nulla Scriptura permittit vt ex sanguine & suffocatis manducemus: sed potius illorum vsus nobis vetitus est vt ex illo primo Apostolorum concilio memoriæ traditur. Vtimur tamen his traditionibus & multis alijs partim Scriptura non expressis, partim vetitis: idque per laudabilem hucusque consuetudinẽ à primitiua Ecclesia descendentem.

Actor. 15.

Sed quorsum attinet singulas Apostolorum traditiones enumerare quarum magnam partem inuenire licet apud Origenem. Homel. 5. in Numeros. Tertull. de corona militis. Athanasium in lib. de variis. quæst. Basilium lib. de spiritu sancto cap.

28. & 29. Hieronymum contra Luciferianos. Sed Augustin⁹ omnium apertissimè pronunciat. *Multa esse quæ neque in literis Apostolorum neque in concilius posteriorum reperiuntur, quæ tamen quia per vniuersam Ecclesiã custodiũtur nõ nisi ab ipsis Apostolis tradita & commendata creduntur.*

gust. lib. 2 . 7. de ptismo ruulorum

Sed hic mirari satis nequeo istorum qui tam hostiliter traditiones impugnant torporem quòd in in eodem luto hærentes tam impudenter Catholicis improperent traditionum obseruationem: cùm ipsi in præcedentibus cum Catholicis consuetudinem traditiuam sequantur, & quod intolerabilius est nolentes aliquando sequi traditiones primitiuæ Ecclesiæ authoritate antiqua commendatas, suas sola nouitate notabiles sequi non erubescunt vt in Baptismo, cœnęque Dominicæ administratione & in sacramentorum numero, ieiunijs, precibus, prædicationibus &c. id quod ex libris psalmorum Geneuæ excusis constat: in quibus precum, prędicationum, ieiunij sacramentorũ, sepulturæ formulæ traditiuæ à seipsis inuentæ, cum modo excommunicandi, absoluendi, ægrotos visitandi, ministros, diaconos, seniores eligendi & delinquentes puniendi particulariter continẽtur. Atque hanc ob causam optima stipatus ratione affirmare poterit Catholicus libros precum Geneuenses non magis expressis verbis in Scripturis reperiri quàm preces vespertinæ aut matutinæ Romanæ tantùm aduersariis exosæ & execrabiles. Vbi quoque obiter notandum est omnes penè Romanæ Ecclesiæ consuetudines eius hostibus tam detestabiles inter il-

Qui traditiones contẽnunt, multis tamen & antiquis & nouis vtuntur.

los ipſos qui eas deteſtantur vſui eſſe forma tã-tum mutata: nam cum ieiunia inſtituunt, ibi dies feſtos aut ſtatutos præter Dominicum, ciborum que licitorum vſum aliquando eſſe illicitum cum Catholicis fatentur. Cùm excommunicãt & abſoluunt in hoc cum Catholicis ſe ligare & laxare cœlũque claudere & recludere profitentur: cũ cogant omnes doctos pariter & indoctos conſentire, ſubſcribere, iurare & credere articulis fidei à ſeipſis collectis: in hoc quoque reipſa denotant credendum eſſe vt Eccleſia credit. Cùm ſuam ſynodum ex Symmiſtis tantùm Syndiciſque præſtantioribus collectam Eccleſiam appellent, fatentur cum Catholicis Paſtorum conuocationem aut concilium legitimum Eccleſiæ nomen mereri. Cùm moderatores Synodorum, ſuperintẽdentes & Preſbyteria inſtituant nonnè Archiepiſcoporum Epiſcoporum & Capitulorum Epiſcopalium vſum approbant? Et cùm omnes ſuis dogmatibus contradicentes citent, examinent, fiſco & carcere plecti, proſcribi (& quod intolerabilius eſt) igne & aqua interdici curent: prohibentes ne victus aut hoſpitium illis ſuppeditetur famemque (vt aiũt) Meliam minitãtes: oſtendũtne hereticos vtroque gladio vapulare debere? Et cum excommunicatione, carcere, fiſco, exilio, fame nihil ſit tetrius miror eos catholicis crudelitatis notã inurere. Faxit Deus vt vtrinque in fide ſtabilienda non pœnis aut tormentis (quæ Patres tantum oderunt) ſed pietate & patientia (quæ tyrannos omnes vicerunt) vteremur: potiſſimùm illi qui neque vocationis neque punitionis au-

thoritatem habent legitimam, vt alibi Deo fauente euidenter ostendemus. Verùm cum hæc sint alterius loci mereanturque tractatum particularem ea tempori magis opportuno disputanda recondo, ne in iis commemorandis cursus scopusque meæ intentionis frangatur. Itaque ad institutum regredior vt superius affirmans formulas precum aliorumque rituum Geneuæ excusas non magis expressis verbis in Scripturis reperiri quam quæ in diurnalibus Romanis leguntur collecta, hymni, prosæ, preces que.

Neque categoricè respondent dicentes suarum formularum fundamenta aut ex Scripturæ textu elici, aut saltem Scripturis non refragari, nisi eandem libertatem catholicis permittant. Deindè considerare debent fundamenta & formulas tantùm differre quantùm domus fundamentum & domus formata, imò quantùm ipsa materia & forma, quarum illa quantumuis ex se bona sit, forma tamen mala adueniente, mala redditur: quia forma dat esse rei: id quod vno aut altero paradigmate ostendo. Ecce carnes delicatiores in vermes mutatæ, & fructus nobiliores in putredinem, virtute antiqua cum noua forma vitiosa priuantur. Aut vt efficacius agam, Ecce errores superedificati supra Scripturæ malæ intellectæ fundamenta, per Arrium, Donatum, Eluidium alioque eius generis schismaticos, eadem fundamẽta turpiter cõtaminarũt cùm vt sues immũdissimi fontes spiritus sancti nitidissimos heresibus fœdissimis turbarunt. Atque eiusdem preuaricationis rei sunt quicunque citant, applicant,

torquent & retorquent Scripturas non secũdum doctiorum, antiquiorum & sanctiorum mentem sed secundum sensum quorundam priuatorum qui priscorum sanctitatem, doctrinam, antiquitatem erroris suspicione sepelire conantur.

Verùm vt hãc de traditionibus Apostolicis sectionẽ absoluã cũ patribus cõcludo quòd debeamus in illarum obsequium intellectum & iudiciũ nostrum priuatum captiuare sentiẽdo in opinionibus de Scripturæ sensu cõtrouersis non secundum nostrum sensum, sed secundum antiquam Ecclesiæ traditionem, quam sancti Patres tanti fecerunt vt non alia machina contra suorum temporum hereticos magis vsi fuerint. Hac vsus est ar t quissimus Irenæus contra Valentinum hereticum: Hac Tertullianus contra Marcionem: Hac Origenes contra Celsum: Hac Nicęnum Concilium contra Arrium: Hac Basilius contra Eunomium & Amphilochium: Hac Hieronymus contra Vigilantium, Iouinianum & Luciferianum: Hac Cyrillus Alexandrinus contra Nestorium: Hac vsus est Proclus Constantinopolitanus Episcopus ad Armenios scribens: Hac Theodoretus in Polymorpho contra sui temporis hereticos: Hac Augustinus contra Donatistas & Iulianum: Hac Leo, Gelasius, & Ioannes Romani Pontifices contra Eutychen: Hac sexta Synodus contra Monothelitas: Hac septima cõtra Iconomachos: Hac Beda venerabilis de diuersitate Lunaris cursus: Hac Petrus Cluniacensis contra Henricianos & Petrobrusianos: Hac æqualis eius Bernardus cõtra Petrum Habailardum: Hac Euthemius contra

sui temporis Hereticos: Hac reliqui sancti Scriptores vsque ad hęc nostra tẽpora contra diuersi, imò contra omnis generis hereticos vsi sunt.

Non solum traditiones sed etiam ipsæ Scripturæ catholicorum sententiam in præcipuis cõtrouersiis confirmant.

Sed in traditionibus propugnandis non ita mordicus inhæreo acsi iis negatis tota Ecclesiæ Romanæ machina laberetur: quandoquidem ipsa expressa Scriptura in præcipuis controuersiarum capetibus Catholicorum sententiam confirmabit, cuius rei probationem ex testimoniis subsequentibus elicio. Cum in Symbolo gradatim dicatur, *Christum crucifixum, mortuum, sepultum deindè descendisse ad inferos*: Ibi expressis verbis probatur catholicorum fidem esse Orthodoxam cùm dicant Christum post, non ante mortem aut in morte descendisse ad inferos. Cùm in eodem symbolo dicatur indefinite. *Credo Sanctorum communionem.* Nonne sequitur sanctos militãtes cum triumphãtibus communionem habere? ast quam poterint mortales cum illis glorificatis spiritibus aut illi cum mortalibus communionem mutuam habere? nisi cùm mortales illos votis, suffragiis, precibusque agnoscunt: Illi rursum mortalium orationes, operaque charitatis Deo fideliter commemorantes & offerentes vt illos Apocalypseos octauo fecisse legimus. Cùm dicitur Machabeor. 2. cap. 12. *Sanctas salutaresque esse preces pro defunctis.* Sequiturnè preces pro illis esse necessarias? Præsertim cum ipse Augustinus illum librum inter Canonicos numerauerit. Cùm legitur Iacobis. 5. *Accersendum esse ægrotis Presbyterum qui illos in nomine domini vngat* & pro illis oret: sequiturnè vnctionem orationibus in mortis articulo cõiun-

gendam? Cùm legitur Epheſ. 5. *Matrimonium eſſe magnum Sacramentum.* Cur errare dicuntur qui idē hodie affirmant? Vbi legitur 1. Corinthior. 7. *Qui matrimonio iungit virginem ſuam benè facit & qui eam non iungit matrimonio melius facit.* Et cùm legitur. 2. ad Timoth. 5. *Si viduæ adoleſcentiores quæ Eccleſiæ officiis conſecratæ ſunt nupſerint dānationem incurrunt votum præcedens violantes.* Sequiturne Eccleſiam Catholicam ex ipſis ſcripturæ fontibus cælibatus fundamenta hauſiſſe. Cùm legimus Pet. 5. *Multa eſſe in Epiſtolis Pauli intellectu difficilia* & Ioan. 6. *Multos diſcipulos Chriſto ipſo loquente dixiſſe, durus eſt hic ſermo quis poteſt eum audire: quoſdam etiam ab eo receſsiſſe propter ſermonis difficultatem:* Imò ipſos Apoſtolos alicubi Chriſto dixiſſe, *Loquere nobiſcum planè & non in parabolis.* Quid abſurdi ſi hodiè dicant catholici Scripturæ ſenſum aliquandò eſſe difficilem? Vbi legitur Philip. 2. *Deum redditurum vnicuique ſecundum opera ſua,* & 1. Corinth. 9. *Vnuſquiſque autem propriam mercedem recipiet ſecundum laborem ſuum,* & Matth. 16. Cùm expreſſis verbis iubemur, *operari noſtram ſalutem,* & Matth. 25. *Cum dicatur quòd in extremo iudicio reddetur vnicuique ſecūdum opera charitatis erga egenos demonſtrata.* Sequiturne bona opera eſſe meritoria? Cum legitur *peccatum in ſpiritum ſanctum, neque in hoc ſeculo, neque in ſeculo futuro remitti.* Probaturnè quædā peccata eſſe venialia quædā mortalia quædā hîc, quædā alibi remitti? Cùm legitur. Ioā. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto non poteſt introire in regnum cœlorum:* Oſtenditurne quanta ſit baptiſmi neceſſitas ad ſalutem? Cum

legimus Actor. 8. *Apoſtolos etiam baptizatis manus impoſuiſſe.* Probaturnè impoſitionis manuum inſtitutio quæ ſub confirmationis nomine in Eccleſia catholica recipitur?

Realis præſentiæ in cæna Dominica probatio Luculenta.

Breuiter cùm expreſſis Scripturæ verbis dicatur. Hoc *eſt corpus meum.* Et *niſi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius ſanguinem nõ habebitis vitam æternam.* Et alibi. Caro *mea verè cibus eſt ſanguis meus verè potus.* Quid luculentius realem præſentiam, manducationem & potum corporis Domini confirmare poterit? Et cũ in hac manducatione myſtica (quantumuis reali) Capharnaitarum craſſa cogitatio reprehenditur per illa exquiſitiſſima beatiſſimi ſaluatoris verba, Caro *nihil prodeſt: ſpiritus eſt qui viuificat.* Atque *iterum verba mea ſpiritus ſunt & vita, ſed ſunt quidam ex vobis qui non credunt.* Nónne illa ſcurrilia pueriliáque quorundam ſcommata Anthropophagiam Cyclopicam Catholicis falsò obiicientium manifeſtiſſimè illiduntur? Illi enim ſubſannatores cum Capharnaitis non niſi naturaliter & carnaliter corpus Chriſti manducari fingentes, carniſque & oſſium rupturam contuſionemque creophagicam falsò imaginantes, & cum Philoſophis improbantes quæ ratione humana probari nequeant, turpiter hallucinãrẽtur, aut ignoranter aut arroganter ſenſum fidei, carnem ſpiritui præferentes. Nam ſi cum Sacramentariis dicam me fide in cœlos aſcendere, Chriſtoq; coniungi in mãducatione corporis Dominici quid illic credo rationi naturali contrarium? ipſi enim Philoſophi infideles cælũ deorum ſedem eſſe, noſque cum illis nõ niſi votis & voluntate

& voluntate coniungi posse fatentur. Verùm si dicam è diuerso cum Catholicis Romanis Panem mutatum esse in corpus Christi, vinumque in sanguinẽ: Ridebunt Philosophi, sensus refragabitur & ratio humana ἀδύνατον, ἀδύνατον exclamabit. In hac itaque manducatione catholicorum opus est fide & spiritu: in illa sacramentariorum satis est sensum carnemque adesse. Laudati profectò laudabilesque discipuli Pythagorici quibus αὐτὸς ἔφα sufficiebat: verùm qui de sacrosanctis omnipotentis Dei oraculis cunctantes dubitant omni laude indigni videntur. Nam si mihi permiserint de reliquis saluationis, creationis miraculorumque circũstantiis, illorum more disputare, tunc labefactabo omnia vtriusque testamenti Axiomata. Ecce conceptio & incarnatio sine semine, Ecce partus virginalis, ascensus corporalis, introitus ostijs clausis & ambulatio super aquas realis, Ecce omnia quæ facta sunt solo verbo ex nihilo facta. Quid hic Capharnaïtæ? quid Aristoteles? Multa dici, pauca probari, corpora descendere, aquis immergi, dimensiones ingrediendo penetrari, hominem ex homine & sole generari, in partũ virginitatis claustra violari, & ex nihilo nihil fieri. Sed replicant Sacramentarij (& optimè) naturæ authorem (qui potest omnia quæ vult & non vult nisi quod bonũ est) supernaturaliter in præcedẽtibus operatum fuisse, atque illũ dixisse & omnia facta esse. Si ergo in creatione admiranda totius machinæ mundanæ, in redemptione reuerenda totius gentis humanæ, in operatione stupenda omnium vtriusque testamenti miraculorum, solo

verbo diuino confundant rationem humanam: Quare de efficacia & poteſtate eiuſdem verbi in Sacramento Euchariſtiæ dubitant non credentes aliquid illic eſſe corporaliter præter panem & vinum quę videntur. Scire tamen debent quid propter talem incredulitatem dixerit Diuo Thomæ Dominus noſter & Saluator benigniſſimus. *Thoma, Thoma quia vidiſti credidiſti. ſed beati qui non viderunt & crediderunt.* Beati ergo præ aliis catholici Romani qui ſenſum carnemque ſpiritui mancipantes cum Diuo Thoma Aquinate credunt pſalluntque dicentes.

In ſupremæ nocte cœnæ, recumbans cum fratribus, obſeruata lege plenè, cibis in legalibus, cibum turbæ duodenæ, ſe dat ſuis manibus. Verbum caro, *panem verum, verbo carnem efficit fitque ſanguis Chriſti merum: & ſi ſenſus deſicit, ad firmandum cor ſincerum, ſola fides ſufficit.* Et alibi. Dogma datur chriſtianis quod in carnem tranſit panis, & vinum in ſanguinem: quod non capis quod non vides animoſa firmat fides, præter rerum ordinem. Sub diuerſis ſpeciebus, ſignis tantum & non rebus, latent res eximiæ: caro cibus, ſanguis potus: Manet tamen Chriſtus totus, ſub vtraque ſpecie. A ſumente non conciſus, non confractus, non diuiſus, integer accipitur: Sumit vnus, Sumunt mille: quantum iſti, tantum ille nec ſumptus conſumitur. Sumunt boni ſumunt mali, ſorte tamen inæquali, vitæ vel interitus: Mors eſt malis, vita bonis: vide paris ſumptionis, quam ſic diſpar exitus, fracto demùm ſacramento, ne vacilles ſed memento, tantũ eſſe ſub fragmento, quantũ toto tegitur: Nulla rei fit ſciſſura, panis tantum fit fractura, qua nec ſtatus nec ſtatura, ſignati minuitur. Tantum ergo Sacra-

mentum, veneremur cernui, & antiquum documentum, nouo cedat ritui: præstet fides supplementum, sensuum defectui.

Quod autem ex Diuo Paulo Corinth. 1. cap. 11. adfertur, *Vbi corpus Domini panis nomine exprimitur*, nihil impedit, id quod hoc modo liquet. Primũ ipse Christus eiusque corpus pretiosum passim in vtroque testamento panis nomine designatur, vt Ierem. 11. *Mittamus lignum in panem eius.* Vbi per lignũ Crux, per panem Christus aut Christi corpus prædicebatur, & in Euangelio dicitur, *Panis qui de cælo descendit.* Verùm in mensa Dominica non memini me legisse panis nomen corpori impositum nisi cum adiectione, aut demonstratiua, aut relatiua, aut exegetica vt loco Diui Pauli citato, *Panis quem frangimus, & ibidem. Qui manducat ex hoc pane*, & Ioan. 6. *Panis quem ego dabo vobis caro mea est.* Atque talibus adiectionibus vtitur spiritus sanctus (secundum patrum sententiam) vt intelligamus non de pane communi visibili sermonem esse, sed de pane aliquo singulari mystico: præterea Diuus Paulus corpus panem nominans ita loquitur quia panis forma non corporis forma videtur: quemadmodum & vinum neque vinum neque sanguinem appellat sed calicem quia res continens contentis inclusis inspicientium oculis est eminentior & visibilior. Atque hoc in Scripturis frequens est vt ab exteriori forma res denominationem habeant. Sic Serpens æneus serpens, sic Angeli viri aut homines dicti sunt. Item in Scripturis mutatione facta vetus nomen sæpè retinetur. Sic vinum vua, sic dæmon Lucifer, sic homo

Numer. 21. *Genes.* 18 & 19.

cinis aut lutũ, sic virgo Moysis dicitur adhuc virga cùm non esset plus virga sed serpens. Vltimò cùm D. Paulus loco citato indignè manducantes reos esse concludat non panis aut vini sed corporis Christi : manifestè ostendit manducari corpus Christi non panem communem. Ergo si cum Capharnaitis dixeris, Durus est hic sermo: Respondebo carni aut rationi carnali durum esse, quia caro nihil prodest: si dixeris cum diuo Thoma te nisi videris non crediturum. Respondebo Beatos esse qui non viderunt & crediderunt. Si cum beata virgine Deipara admirabũdus exclamaueris: quomodo id fieri possit cùm virum non agnoscas (id est cùm non videas media naturalia) respondebo cum Angelo: oportere spiritum sanctum in te superv[illegible] & virtutem altissimi te obũbrare: alioqui de creatione, incarnatione, regeneratione nõ minus dubitabis quàm de reali præsentia. Neque ignorandum est quod fides non habeat meritum vbi humana ratio facit experimentum, & quòd Christianus non contentiosis neque curiosis sufficere debeat in rebus fidei scire quod sint non quomodo sint: quemadmodũ & Diuus Paulus sciuit se Christum vidisse quomodo autem viderit siue in corpore siue extra corpus neque sciuit neque inquisiuit.

Sed ad institutum Reuertor, opiniorque me luculentér ostendisse per argumenta precedentia Catholicorum sententiam in capitibus de religione controuersis expressis scripturæ verbis euidẽtissime confirmari. Quamobrem si ipsæ scripturæ, si Scripturarum doctores celebriores non obstãte

locorum temporumque interuallo, vtpote Tertullianus & Diuus Augustinus in Africa: Hilarius in Gallia: Ambrosius, Leon, Gregorius in Italia: Ioannes Chrysostomus in Thracia: Theophylactus in Mysaï: Ioan. Ephraim, Ioan. Damascenus & Sanctus Hieronymus in Syria: Basilius in Capadocia: Origenes, Cyrillus & Athanasius in Ægypto. Si quatuor illa concilia œcumenica (Nicænum cui intererant Episcopi 318. Constantinopolitanũ cui intererant Episcopi 150. Ephesiũ cui intererant Episcopi 200. Chalcidonense cui intererant Episcopi 630.) si inquam omnes isti patres sanctissimi, Conciliaque celeberrima vnum idemque loquebantur, cogitabant, scribebant & concludebant in quæstionibus hodiè agitatis quod hodierno die Romana Ecclesia loquitur sentitque: certè negari nequit quin eadem Catholica Romana Ecclesia vera sit & Orthodoxa Christi Ecclesia in terris militans. Cuius rei qui luculentiorem velit demonstrationem legat Augustinianam confessionem quę fideliter ex omnibus Diui Augustini libris collecta manifestissimè probat eiusdem fidei, doctrinæ & religionis confessionem quæ hodie tam hostiliter impugnatur illius æuo mille ducentis abhinc annis floruisse.

De successione Apostolica sine qua antiquitus omnis doctrina semper suspecta fuit.

Sed ne huius materiæ vbertas digressionis ansam molestiorem secum adferat, vnde delapsus sum reuertor vt loquar (quemadmodum sum pollicitus) de legitima pastorum successione ab Apostolorum ætate in hunc vsque diem. Ea enim vbi non est cum doctrina coniuncta ibi non est Ecclesia Apostolica. Verùm qui Romanæ Eccle-

sic repugnãt hanc notam nõ habentes eã respuũt. Qui cum Arrianis & Donatistis nihil præter Scripturas recipientes neque traditiones Apostolicas admittunt neque ferre possũt vt quicquam de legitima Episcoporum successione dicatur. Nobis tamen tantò maiori alacritate amplectenda est hęc successionis nota, quandoquidem non fuit ferè quisquam sanctorum Patrum qui non eam inter præcipuas Ecclesiæ notas numerauerit. Primùm Irenæus Apostolorum temporibus proximus hæc habet verba. Agnitio vera est Apostolorum doctrina & antiquus Ecclesię status in vniuerso mundo secundum successiones Episcoporum quibus illi eam successionem quæ in vnoquoque loco est Ecclesiæ tradiderunt peruenitque ad nos custodita, & lib. 4. cap. 43. his tantum Episcopis obedire iubet qui successionem habent ab Apostolis, qui cum Charismate veritatis certam successionem Episcopatus acceperunt: reliquos qui non habent hanc principalem successionem quocunque loco colligantur suspectos vult haberi. Neque multò posterior Tertullianus de hereticis sui temporis loquens. Cupio (inquit) ostendant mihi ex qua authoritate prodierunt: Edant origines Ecclesiarum suarum: Euoluant ordinem Episcorum suorum ita per successiones ab initio decurrentem vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris qui cũ Apostolis perseuerauerit habuerit authorem & anteceſſorem, hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferũt: sicut Ecclesia Smyrneorum Polycarpum à Ioanne collocatũ refert: sicut

lib. 4. cap. 63.

In præscriptionibus aduersſ. Heretic.

Romanorum Clemẽtem à Petro ordinatum edit: vtique & ceteræ exhibebãt ſuos Epiſcopos qui ab Apoſtolis in Epiſcopatu conſtituti Apoſtolici ſe nimis traduces demonſtrant. Confingant tale aliquid heretici, hactenus Tertullianus. Item Origenes qui fuit propemodũ illi coæuus, hoc modo agit, cum (inquit) multi ſint qui ſe putant ſentire quæ Chriſti ſunt & nõnulli eorum diuerſa à prioribus Epiſcopis ſentiunt: In tali differentia ſeruetur Eccleſiaſtica prædicatio per ſucceſſionis ordinem ab Apoſtolis traditum & vſque ad preſens in Eccleſiis permanens: nam illa ſola credenda eſt veritas quæ in nullo diſcordat ab Apoſtolica traditione. Cyprianus huius ſucceſſionis legitimæ rationem habens dixit Eccleſiam eſſe vbi erat Papa Cornelius non vbi erat Nouatius ſucceſſionis euidentia carens. Sanctus Hieronymus ſcribens ad Damaſum Papam eadẽ ratione Encomiis laudatiſſimis ſucceſſionem Pontificum Romanorum extollit. Cum Succeſſore (inquit) Petri loquor & cum diſcipulo crucis. Ego nullum primum niſi Chriſtum ſequens Beatitudini tuæ id eſt Cathedræ Petri communione aſſocior. Super illam Petram edificatam eſſe Eccleſiam ſcio, quicunque extra hanc domum agnum comederit prophanus eſt. Si quis in hac arca non fuerit veniente diluuio peribit, & paulò poſt, non noui (inquit) Vitalem, Meletum reſpuo, ignoro Paulinum (quippè ſucceſſione legitima deſtituti) quicunque cum Damaſo non colligit, ſpargit, nam qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt. Diuus Auguſtinus pluribus in locis hanc ſucceſſionis notam agnoſcit, diſertis

In proemio lib. 1. Periarchon.

lib. 1. epiſt. 6.

verbis extra Eccleſiã eſſe pronuncians eos qui relicto Epiſcopo ordinatione ſuccedanea præcedente aut ſibimetipſis aut ſemetipſos Epiſcopos, præpoſitos, primates conſtituunt, cuius etiam hæc verba leguntur. Multa ſunt quæ me in Eccleſiæ gremio iuſtiſſimè tenent, tenet conſenſus populorum atque gentium, tenet authoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata, tenet ab ipſa ſede Apoſtoli Petri (cui paſcendas oues ſuas Dominus poſt reſurrectionem ſuam commendauit) vſque ad preſentem Epiſcopum Sacerdotum ſucceſſio. Et rurſus ſic ait Donatiſtis. Numerate (inquit) Sacerdotes vel ab ipſa Petri ſede & in ordine illo Patrum quis cui ſucceſſerit videte. Ipſa eſt Petra quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ &c. Atque iterum in epiſtola ad Generoſum Romanos Epiſcopos inuicem ſibi ſuccedentes vſque ad Anaſtaſium tunc Pontificem enumerat. Quod item ab Optato Auguſtini æquali factum legimus. Is enim cõtra Parmenianum ſcribens dicit Cathedram Epiſcopolem primò eſſe Petro collatam. Petro (inquit) omnium Apoſtolorum Capite atque inde Cephas appellatus, quia Caput eſſet: quemadmodum & ſchiſmatici appellantur qui contra principalem Cathedram aliam collocare ſtudẽt. Ergo (inquit) in Cathedra vnica quæ eſt prima ſedet prior Petrus, cui ſucceſſit Linus (quamuis Clemens primũ nominatus eſt per Petrum) ac à Lino enumeratis omnibus Pontificibus Romanis vſque ad Syricium qui tum in Cathedra ſedebat tandem in hæc verba prorumpit. Veſtræ (inquit) Eccleſiæ

Contra epiſt. Manichei. cap. 4.

In Principio Tom. 7. epi. 16. contra Donatiſt.

lib. 2. contra Donat.

Origenes

Origines reddite qui vultis Ecclesiæ Sanctæ nomen vendicare. Ipse etiam antiquissimus Irenęus simili enumeratione successionis Pontificum Romanorũ vsus est, quam enumerationem in suam historiam Ecclesiasticam trãscripsit Eusebius lib. 5. cap. 6. *lib. 3. cap. 3*

Atque in hac sententia cùm fuerint antiquissimi, doctissimi, sanctissimi, Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, Optatus, &c. Proculdubio hęc successionis insignia tot Patrum elogiis commendata clarissimæ sunt Ecclesiæ notæ quantúmlibet reclamantibus Ecclesiæ Romanæ hostibus qui eam sibi nulla ratione arrogare poterint: quibus & catholici cum Tertulliano & Optato dicere possint: ostendite ex qua authoritate prodieritis: edite origines Ecclesiarum vestrarum: euoluite ordinem Episcoporũ vestrarum: reddite primordia Cathedræ vestræ: quem Apostolum aut virum Apostolicum habetis antecessorem, ex quo per Presbyterium successiuum indeficiensque hucusque ad vos Episcopatus vester descendit? confingite aliquid de hac successione legitima? sed neque quod confingere habetis.

Longum esset profectò singulos enumerando recensere qui ex hac nota successionis Apostolicæ Ecclesiam cognoscendam esse putauerunt, quique sub Apostolatus Epitheto successionem legitimã doctrinæ comitem non minus inseparabilem esse voluerunt quàm monetæ rectæ Regis imago, aut tabulis Authenticis subscriptiones sigilláque Authentica.

Atque si res ita se habet Perpendamus paululùm omni remota partialitate aliquane sit inter omnes istas Ecclesias hodierno die Ecclesiæ nomen ambientes quæ poterit cum doctrina Apostolorum euidentia ab Apostolis successionis instrumenta exhibere vnica Romana Ecclesia excepta: quæ per manifestũ successionis ordinem circiter trecentorum triginta trium Pontificum Historicorum, Patrumque protocolis authenticis insculptum abipso sancto Petro vsque ad Clementissimum Clementem Octauum hodiernum Pontificem, suæ originis progressusque rationem luculentam edere possit. Et si præter illã nulla alia talia antiquæ successionis instrumẽta edere possit profectò illa sola Apostolica dicenda est, quemadmodum & omnes aliæ veræ Ecclesiæ proprietates illi peculiariter & quarto modo conuenire superiùs probatum est. Ab illa itaque nos separãtes, aut illam oppugnantes, irridentes, fugientes aut aliquo modo de illa eiusque authoritate dubitantes, socij, participes & rei reddimur peccatorum pœnarumque quæ perpetrarunt & perpessi sunt qui Moysi restiterunt, qui paternum pudorem ludibrio habuit, qui arcam ingredi contempserunt, & qui de pacto Dei dubitantes in deserto inhabitabili extra promissionis terram cadauera sua insepulta reliquerunt.

Quòd Papa non sit Antichristus neque Roma Sathanæ Synagoga.

Sed hîc oportet infinita hostium tela repercutere cùm qui à Romana Ecclesia defecerint quotquot sunt omnes vnà voce clamitant illam nullo modo esse veram Ecclesiam, Christi sponsam, lilium inter spinas, Turrim Eburneam, &c. Cùm

illius Episcopus sit Antichristus & illa ipsa Satanæ Synagoga. Et si quæras vndè tã numerosa argumentorum cohors quæ sedem Romanam impetat, respondebo quod Chalcidonensis hospes qui cœnam splendidam & opiparã multis in speciem ferculis instructam cum exhiberet interrogatus vndè tãta delitiarum copia, ingenuè cõfessus est ex suilla carne constare omnia quæ callida coquorum ars ita variarat. Et sanè vt suilla caro omnium penè crassissima, fastidiosissima & maximè fatua est. Ita argumenta Romanam sedem impetentia cum illis nihil magis sit crassum aut insipidum ex suilla carne omnia constare dico, quædã tamen eorum speciosiora esse fateor prout alius alio ingeniosior & callidior est artifex, qui subtilitate acuta speciem mutans efficit vt fucus arte adhibitus aliquid genuini coloris imitetur. Sed qualiacumque sint respondebo singulis cum omni candore & patientia, ostendamque Deo auspice quòd quemadmodũ notæ peculiares Ecclesiæ verę soli Romanæ. Ecclesiæ eiusq; adhærẽtibus peculiariter cõueniant: ita notę in Scripturis infallibiliter Antichristum illiusque Synagogam demonstrantes nulla ratione Romano Pontifici sedique Romanæ applicari possint.

Omitto interim friuola & ambigua aduersariorum argumenta (vt illud Apocalypseos de numero bestiæ, quod vt torquetur ad nomen λατεινος ita Martini Lauteri nomen Hebraïcè scriptum eundem numerum efficit: aliosque locos Prophetico malè intellectos) quos vnusquisque ad suum arbitrium flectere consueuit, pertranseo. Tres so- *Apoc. 13.*

lummodò aut quatuor Scripturæ locos qui Antichriſtum euidentiſsimè demonſtrant proferam: quibus etiam ipſi aduerſarij pro telis fortiſſimis vtuntur. Primus locus in epiſtola ad Theſſalonicenſes cap. 2. reperitur. Vbi dicitur quod *Antichriſtus erit homo peccati, filius perditionis qui ſe extollet ſuper omne quod dicitur* Deus, *aut quod colitur: Ita vt in templo* Dei *ſedeat oſtendens ſe tanquam* Deus *eſſet.* Secundus locus eſt in 2. Ioan. cap. 2. Vbi dicitur, *quis eſt mendax niſi qui* Ieſum, Chriſtum *aut vnctum eſſe negat & hic eſt* Antichriſtus. Tertius eſt ex vndecimo Danielis vbi Propheta loquens de Antichriſto dicit quòd Deum Patrum *ſuorum non reputabit nec quemquam deorum curabit quia aduerſus vniuerſa conſurget.* Doctores penè omnes qui hos locos interpretantur conſentiunt, affirmantque Antichriſtum ſe Meſſiam publicaturum tentaturumque omnem Chriſtianam doctrinam videlicet verbi prædicationem, Sacramentorum adminiſtrationẽ imò ipſam Scripturam peſſundare.

Examinemus itaque ſi aliqua harum notarum tam prodigioſarum conueniat Romanæ Eccleſiæ Paſtoribuſque Romanis qui hucuſque non ſolùm Chriſti, ſcripturarumque ſtrenuiſsimos ſeſe propugnatores oſtenderunt verumetiam ex iiſdem Paſtoribus triginta & plures pro fide Chriſtiana martyrij coronam adepti ſunt. Deinde anno ſalutis humanæ 327. Quis conuocauit Concilium Nicenum contra Arrium Hereticum qui Chriſtum Patri conſubſtantialem negauit Fuitne Papa Syluester? Quis Concilium Conſtantinopolitanum anno 383. Vbi hereſis Macedoniorum negantium

diuinitatem aut deitatem ſpiritus ſancti confutabatur. Eratne Papa Damaſus? Quis anno 436. Cõcilium Epheſium contra Neſtorium affirmantem duas eſſe in Chriſto perſonas? eratne Papa Celeſtinus? Quis Concilium Chalcidonenſe anno 454. contra Eutychen dicentem Chriſtum poſt incarnationem, humanam naturam ſolumnodò habuiſſe? Eratne Papa Leo primus? Quis omnia alia concilia minora ad extinguendas hereſes cõuocata, authoritate Apoſtolica confirmauit vt Carthagine & Mileueti in Africa contra Pelagianos negantes neceſſitatem diuinæ gratiæ auxiliaris ad implenda Dei mãdata, & ſparſim in multis aliis nationibus contra Donatiſtas, Manicheos, Luciferianos, Angelitas, Anthropomorphitas, Apollinarios, contra Cerynthum, Baſilidem, Carpocratem, Hermogenem, Valentem, &c. Erantne omnes iſtæ hereſes hereticique authoritate Romana citati, iudicati, condemnati? Nulla enim alia ſedes Epiſcopalis zelo Chriſtiano habebat potentiam dominatricem coniunctam vt tot Imperatoribus potentibus tot Hereticis ſubtilibus reſiſteret, niſi vna ſedes Romana. Si ita eſt profectò mirabilis eſt Antichriſtus qui fidem Chriſtianam etiam cum vitæ diſpendio contra omnes Chriſti hoſtes tam ſtrenuè defendit, & admirabilior eſt illa Satanæ Synagoga quæ non patitur Schiſmata hereſeſque Satanicas ſuũ ſanctuarium ingredi. Prætereà reſpondeant quæſo conſiderantes non contendentes, ſcientes non ignorantes, in modeſtia non in malitia: Extuleruntne ſe Pontifices præteriti, aut extollitne ſe Pontifex preſens

(si præteritos præsenti tolerabiliores putamus) supra omne quod dicitur Deus aut colitur sicut Deus, cum è diuerso (vt omnium Dei seruorum infimus) pauperrimis miserrimisque Dei famulis ministret, lauans, tergens, osculans illorum pedes lutulentos, suppeditansque quæ ad illorum victum & amictum sunt necessaria. Cuius rei ipse cùm Romæ essẽ anno Iubilæo prædicto oculatus eram testis: idque illis qui ξενοδοκεῖον vel hospitium Trinitatis Romanæ viderũt (vbi peregrinorũ pauperum decem millia simul pernoctari videbam) incognitum esse nequit. Neque honorem maiorem ambit quàm vt seruus seruorum Dei id est aliorum seruorum minister, famulus, & seruus appelletur. An aliquo modo Iesum negat esse Christum? cùm pro Christo crucifixo fidéque Christiana contra omnes infideles, hereticos, & Christi hostes bona omnia vitamque ipsam quotidie periclitari non ambigit. An Deum Patrum suorum cõtemnit? cum opportunè & importunè persuadeat limites paternos in religione Christiana constitutos non transgrediendos. Vndè manifestum est Pontificem Romanum non nisi per antiphrasin Antichristum, neque Ecclesiam Romanam Satanæ Synagogam nisi per Ironiam, arrogantiam aut ignorantiam dici posse.

De bestia coccinea & meretrice purpurata.

Quod ad illud attinet ex Apocal. 17. quo veluti ariete insuperabili sperabam aliquando me mænia Romanæ Ecclesiæ solo æquasse cum ne lapillum quidem mouissem, vtriusque partis de illo loco sententias breuiter fideliterque pertingam. Ibi enim describitur Antichristi sedes hoc modo,

Vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiã coccineam plenam nominibus blaſphemiæ habentem capita ſeptem & cornua decem, & in fronte eius nomen ſcriptum, myſterium, babylon magna, mater fornicationum & abominationum terræ, & vidi mulierem ebriam de ſanguine ſanctorum, & paulò poſt: ſeptem capita ſeptem montes ſunt ſuper quos mulier ſedet, & in fine capitis, mulier quam vidiſti eſt ciuitas magna quæ habet regnum ſuper reges terræ. Aiunt aduerſarij hæc omnia conuenire Romæ quæ habet ſeptem colles: quæ imperium aliorum regum imò totius orbis tenuit: quæ perſequitur Euangelicos & eorum maiores perſequuta eſt: (vt Valdẽſes, Albigẽſes, Huſſitas, Vicleſitas, Lutheranos, &c.) Quæ eſt mater multarũ abominationum propter multitudinem peccatorum Romæ regnantium: quæ etiam in Scripturis ipſis vocatur Babylon: id quod adhuc confirmari aiũt authoritate Patrum. Primò per Tertullianum hoc modo dicentem. Babylon inquit apud Ioannem Romanæ vrbis figura eſt. Deinde per Hieronymũ qui vocat Romam pũrpuratam meretricem. Tertio per Auguſtinum qui eam quoque vocat alteram Babylonem: & vltimò per Oroſium qui Romam per omnia Babyloni reſpondere multis rationibus perſuadere nititur. Ergo (inquiunt) Roma eſt ſedes Antichriſti propria, at illic ſedet, multiſque ſeculis præteritis ſedit Papa. Ergo Papa eſt Antichriſtus.

1. Petr. vltimo Tertul. lib. aduerſus Iudæos & lib. 3. aduerſus Marcio em. Hiero. in cap. 47. Eſaiæ in fine lib. 2. cõtra Iouinianum & in epiſt. ad Marcellinam. Auguſtinus de Ciuitate Dei lib. 18. cap. 22. Oroſius lib. 2. cap. 3.

Reſpondemus, qui Romam Babylonis nomine comprehenderũt illi Romam pro vrbe & imperio Romano non pro Eccleſia Romana accepe-

runt, & illa Roma quæ iuxta illos est Babylon, meretrix purpurata, & ciuitas illa magna sanguine sanctorum tincta est Roma Ethnica non Christiana est imperium Romanum non Romana Ecclesia. Breuiter illa Roma meretricis nomine designata non est Linus, Cletus, Clemens & illorum successores : Sed Nero, Domitius, Diocletianus, id est non Roma patiens, fidelis, Apostolica: Sed persequens, infidelis, Antiapostolica. Sic Tertullianus loco citato seipsum explicuit. Babylon inquit Romanæ vrbis non Ecclesiæ figura est. Fateor quidem vrbem Romam ipsam Babylonem seu Chaldaïcam seu Ægyptiam, magnitudine, superbia, & persequutione Sanctorum non tantùm adæquasse sed & superasse. Vt enim Chaldæi Reges & Reges Ægyptij veterem Ecclesiam Hebraicam : sic multò magis Romani imperatores Ecclesiam Christianam persequuti sunt: quorum videlicet opera & Christus ipse passus est, & principes Apostolorum Petrus & Paulus, posteaque multi Romani Pontifices Romæ martyrio affecti sunt, & infinita Christianorum multitudo per reliquas imperij Romani partes martyres facti sunt. Sic Hieronymus postquam Romam propter peccatorum magnitudinem quæ in omnibus magnis vrbibus regnare solet Babylonem vocasset & meretricem purpuratam, &c. Addit tamen hæc verba: est quidem ibi Sancta Ecclesia : sunt trophæa Apostolorum & Martyrum: est Christi vera confessio, &c. Imò per hanc Christi confessionem illam in fronte vrbis inscriptã blasphemiam ab vrbe Roma delectam fuisse idem Hieronymus

Hieron. epist. ad Marcellinam. cap. 7.

Hieron. lib. 2. contra Iouinianum.

Hieronymus alibi ſcribit, dicens. Ad te (inquit) loquar quæ ſcriptam in fronte blaſphemiã Chriſti confeſſione deleſti, vrbs potens, vrbs orbis domina, vrbs Apoſtoli voce laudata.

Roma igitur etſi reſpectu imperij adhuc Ethnici & perſecutionis Sanctorum potuit dici Babylon tamẽ ratione ſanctæ fidei quæ ab initio in illa viguit Babylon non dicebatur neque fuit. Atque certũ eſt (ſi Patribus aut hiſtoriis primitiuæ Eccleſiæ credamus) quòd cũ Nero ibi ſederet & Petrus quoq; ſedit & illa Eccleſia quæ vltimo cap. primę Petri Epiſtolæ dicitur Eccleſia quæ eſt in Babylone electa: & poſteà ſedebant ſancti Pontifices martyres ſub impiis Imperatoribus: Imò conuerſis Imperatoribus ipſis ceſſauit Roma Babylon appellari & ſedes Apoſtolica dicebatur ſi antiquitati authenticæ credendum eſt. Quare cum Auguſtinus & Oroſius Romam Babyloni comparant id totum ratione vrbis adhuc Ethnicæ, vel impiæ & vitioſæ non ratione Eccleſiæ, aut fidei aut doctrinæ factũ eſt: id quod neque antiquitus fuit neque hodie eſt inuſitatum. Nam quæ prædicebantur cõtra Ieruſalem adhuc Iebuſeam vel Chananeam & infidelem non de Ieruſalem Hebręa & fideli intelligebantur: & quæ poſteà de Ioram, Achab, Zedechia Regibuſque peruerſis non de Ezechia, Ioſia, Ioſaphat prędicta fuerant.

Quemadmodum & hodie eadem loquendi phraſis proteſtantium miniſtris vbicunque ſunt frequentiſſima: eſt exempli cauſa: cum illorum nonnulli Pariſios idolatriæ ſentinam & vitiorum omnium voraginem eſſe exclamant: id non de

ſua ſed de contraria Eccleſia Pariſiis viuente intelligi volunt. Cum in Anglia nonnulli in aperto cymiterio Diui Pauli Lõdinum voluptatum lacum: cum in Scotia penè omnes Edinburgum, Lanienam, proſtibulum, iuſtitiæque mangonium appellent: iis verbis non ſuas Eccleſias, Londini & Edinburgi viuentes, ſed ſcortatores, homicidas & iudices corruptos illic viuentes denotari volunt. Eadem itaque loquendi & ſeipſos interpretandi libertas Patribus quæ nobismetipſis concedatur niſi nos patribus præferendos eſſe putamus.

Auguſt. in Pſal. 61. & de ciuitate Dei lib. 20. cap. 9. Commentarij in Apoc. Ambroſij nomine editi, Item alius commentarius inter opera Auguſtini.

Sed memini me aliquando huius Prophetiæ ſedem Antichriſti deſcribentis probabiliorum interpretationum legiſſe ex ipſo Auguſtino & Ambroſio collectam, qui hos ſeptem mõtes non pro illis ſeptem materialibus vrbis Romæ collibus in quibus hodiè neque Epiſcopus neque populus Romanus ſedet aut habitat, ſed in cãpo Martio) & mulierem illam purpuratam & beſtiam & Babylonẽ, & ciuitatem magnam accipiunt non pro Roma aut pro vna aliqua ciuitate aut imperio impiorum hominum Eccleſiam Dei poſt Chriſti aduentum perſequentiũ: ſed in ſenſu alio quæ literæ & textui magis cõuenire videtur: Nam ſeptem capita & ſeptem montes dicunt eſſe ſeptem regna diuerſa quæ Eccleſiam Dei & ante & poſt Chriſti aduentum perſequuta ſunt. Videlicet Ægyptij ante Moyſen: Chaninæi ſtatim poſt Ioſuë: Chaldæi Babylonij ſub Nabuchodonoſor: Perſæ per Darium & Cyrum: Græci per Alexandri ſucceſſores maximè per Antiochum Epiphanem: quæ ſunt quinque Regna quæ veterem Eccleſiam He-

bræam vexarunt. Sextum est Romanum Imperium: & septimum erit ille magnus Antichristus qui deleto Romano Imperio Ecclesiam Christianam vastabit. Atque hæc dicuntur esse illa septem capita quorum quinque (vt ait ipse Ioannes suo tempore) ceciderunt: quia illa quinque quæ Ecclesiam Hebræam vexarunt seculo Ioannis per Romanam Imperium pessundata cessauerunt. Atque vnus iam est (inquit Ioannes) id est Romanum imperium: & alius (inquit) nondum venit & cum venerit oportet illum breue tempus manere: & hic est Antichristus qui non erit tota illa bestia aut ciuitas magna sed pars extrema illius & vnus de septem capitibus, montibus, Regibus. Oportet itaque vt Romanum Imperium omninò cesset antequam Antichristus incipiat: Oportet vt breui tempore maneat Antichristus cum venerit. Sed Papæ iam longo tempore manserunt & Romanum imperiū non adhuc cessat. Ergo Papa non est Antichristus, & si esset Antichristus tunc Roma esset Ecclesia Dei non Synagoga satanæ quia si Diuo Paulo credendum est oportet Antichristum sedere in templo vel Ecclesia Dei. *Thessal. 2.2.*

Sed adhuc seditiosos murmurare audio dicentesque quòd quamuis Romani Pontifices Prisci hereticis antiquis restiterunt & Scripturæ textum custodierunt: tamen Pontifices recentiores sensum Scripturæ & Sacramenta ita contaminauerunt, sinceramque Ecclesiæ doctrinam talibus erroribus polluerunt vt adhuc Antichristo ipso intolerabiliores meritò æstimari debeant.

Sed huic calumniæ per interrogationem res-

pondeo. Peto enim si Scriptura fuerat sincerè interpretata sine hereseon macula aut Sacramentorum adulteratione, mille ducentis abhinc annis: Si affirmatiuè responderint quemadmodum necessariò oportet (nisi luci meridianæ contradixerint) tunc veritate stipatus affirmare non verebor eandem religionis formam plusquam mille ducentis abhinc annis in primitiua Ecclesia obseruatam hodierno die in Romana Ecclesia obseruari. Cuius rei testes mihi erunt: primùm confessio illa Augustiniana Basileæ & Hedelbergi impressa fideliterque ex ipso Diuo Augustino collecta (qui mille ducentis abhinc annis floruerat, deindè laudatissimi illi Apostolorum auditores Dyonisius Areopagita & Clemẽs Romanus qui mille quingentis & amplius abhinc annis vixerunt.

Cur Patres nouis nominibus in rebus sacris vsi sũt.

Sed curiosis & insatiabilibus adhuc non satisfiet: Aiunt enim nomina Papæ, Transsubstãtiationis, Purgatorij, Missę &c. Multis post Ascẽsionem seculis incognita fuisse. Quibus respondeo quòd Sacrosancta nomina Trinitatis, personatũ & Homousij trecentis penè ab Ascensione annis inaudita quoque fuerant idque hac ratione: quia nouę hereses noua vocabula ad veritatem adulterandam comminiscentes patribus occasionem præbuerunt nouis nominibus eandem veritatem ab hereticorum calumniis liberare, non secùs ac si de gemma aliqua pretiosa possedentium incuria aut alio casu contaminata dubitaretur inter lapidarios indoctos eiusdemque dominus quò pulchriorem illam ostenderet polìri & auro circunscribi curaret eamque postcà nominaret non gẽ-

mam ſed annulum, fibulam, globulum ſecundum nouam formam acceptam: ipſâ tamen gemma eadem maneret quamtumuis nomen nouum ex forma noua haberet, idque non vt peruerteretur ſed vt pulchrior redderetur, atque ita omninò eſt de nominibus nouis ſi quæ in Sancta Eccleſia rebus ſacris ſuppeditantur. Iterũ cùm cõtumelioſè loquuntur contra pileos quadratos, mitras, ſuperpellicia, caſulas, &c. illa pro rebus ludicris & recentibus irridentes obliuiſcũtur pileos rotũdos togas nigras, femoralia larga, calceos crepidaſque quibus ipſi vtuntur, Apoſtolis (qui lacer i nudipedeſque ambulabant) & primitiuæ Eccleſię fuiſſe incognita ſaltem ſilentio ſepulta: neque in hiſtoria aliqua Eccleſiaſtica reperiemus Martini Lutheri cõpanationẽ aut aliorũ creophagiã & iuſtitiã imputatiuã, &c. neq; modificatorũ, moderatorũ aut proteſtantiũ nomina heſterna. Certè quod ad veſtes attinet fatendũ eſt illas omneſq; ceremonias Eccleſiaſticas res eſſe Adiaphoras & idcircò mutabiles, quæque ex neceſsitate, antiquitatis authoritate probari non merentur: veruntamen maior pars ceremoniarum Romanarum in Dyoniſio & Clemente Romano ſupra nominatis mille quingentis abhinc annis ſcripta legitur. Atque hanc eandem rituum veſtiumque mutandi libertatem in ipſis Eccleſijs proteſtantium ſæpenumerò animaduerti: vbi alicubi ante, alicubi poſt conciones baptizant: quidam ſedentes, quidam tranſeuntes, quidam genibus flexis communicant: alicubi die communionis optimis, alicubi communibus veſtibus indui conſulitur: & pro ſignis

Quòd ceremoniæ Res ſunt adiaphoræ, illæ tamen quibus vtitur Romana Eccleſia authoritate antiquiſſimi cõfirmari poſſunt.

ingrediendi ad tabulam, quidã plumbo, quidam papyro notato, quidam calculis vti præscribunt. Atque hę omnes cum multis alijs ceremonjis stabiliuntur mutanturq; secundũ vniuscuiusq; ministri & cõsistorij particularis apud se arbitriũ: quid ergo absurdi si Catholici Romani in reb⁹ indifferẽtibus habito respectu circũstantiarũ idẽ faciãt? Sed omniũ obiectionũ quibus impetitur Ecclesia Romana illa frequentissima æquissimaque æstimatur cum de Clericorum vita vitiosa declamãt. Quo in genere quemadmodum Basilius suo tempore queritur vt quisque lingua est ad maledicẽdum & blasphemandum procaciſſima: ita præ cæteris iudicatur prædicator maximè idoneus, nescientes enim qua ratione doctrinam dignitatemque Catholicam confundere possint contra omnem rationem doctorum Catholicorum crimina & colligere & confingere affectant, non alia re plus laborantes quàm vt plebeiorum animos (odio auaritiæque semper obnoxios) huiusmodi motibus rhetoricis excitent: atque dum rem priuatam sectantur, rempublicam religionemque (fundamenta factiosis murmuratoribusque omnibus communia) prætendentes magis præesse quam prodesse studeant.

Epist. 69.

Cur Martinus Lutherus à Romana Ecclesia defecerit.

Cuius rei manifestum habemus, exemplum in Martino Luthero (de quo tamen cauebo plura affirmare quàm quę euidenter ex Sleidani sui fautoris historia possint demonstrari) quamobrem quæso defecit ille à Romana Ecclesia? nonnè propterea quòd in Germania indulgentiarum publicatio data erat fratri Ioanni Tetzet Iacobino non

dicto Martino neque ſuæ ſocietatis alicui Auguſtinorum Heremitarum qui ſeculis prioribus ſoli indulgentiarum præcones inſtituti fuerant. Cognouit intereà Martinus Bullam illã à Papa Leone 10. fuiſſe promulgatam, partim vt abſoluerẽtur magnifica Diui Petri Baſilea: partim vt cenſus vniuerſalis colligeretur ad expellendum Pannoniâ Solymanum qui illàc ingrediens agros Chriſtianos longè latéque depopulabatur, cum magno Chriſtianiſmi totius dedecore & detrimẽto. Nihilominus dictus Martinus præferens vtilitatem ſuæ ſocietatis priuatæ generali totius Reipublicæ Chriſtianæ bono ex Heremita in hoſtem Eccleſiæ mutatus cõtra prodigalitatem & faſtum (ſed maiori faſtu) Eccleſiaſticorum declamare incipiens tandem in illam amentiam incidit vt affirmaret æquius eſſe & magis neceſſarium Papæ quàm Pagano infideli territorium Chriſtianum vaſtanti reſiſtere.

Propter Pontificum vitia Pontificatus non eſt contemnendus.

Sed demus maledicentibus Pontifices Paſtoreſque Romanos quãdoq; deflexiſſe & quotidie deflectere à recto vocationis ſuę curriculo vitiiſque fędiſſimis temerari: An eam ob cauſam ſedes Catholica vbi præſunt, fides, doctrinaque Chriſtiana quam docent & doceri curant abiicienda eſt? Siquidem præclarè à Tertulliano alicubi interrogatur: Ex perſonis probamus fidem an ex fide perſonas? dummodò fidem rectam doceat & doceri curat Pontifex Romanus (quemadmodum & facit ſi ſymbolum Apoſtolorum rectam appellamus fidem) quid mea refert qua ſit ille vita? deinde quis ſum ego qui ſedentem in Petri Cathedra

In præſcriptionibus contra hæret.

seruum iudicem alienum domino suo ille stat aut
Rom. 14. cadit, vni illi vitæ suæ Pontificatusque commissi rationem redditurus: cùm enim ventum erit ad Christi tribunal non quæretur à nobis quid Pon-
2. Cor. 5. tifex noster fecerit: non illius sed nostræ à nobis vitæ ratio reposcetur, referetque vnusquisque prout gesserit in suo corpore bonum aut malum (vt inquit apostol.) Quamobrem non sibi sumat ouis vt à quo ipsa iudicanda pastorem suum iudicet: neque qua sit ille vita (modò in pascuis salutiferis illam alat) quicquam ad salutem suam interesse putet.

Sed frustra in hoc negotio parabolis vtor. Cum Christus ipse voluntatis suæ expressum testimonium nobis reliquerit dicens Matth. 23. Quæ dicunt facite quæ autem faciunt facere nolite. Dicũt quæ Dei sunt faciunt quæ sua sunt, dicunt bona ex Cathedra Moysi: faciũt mala ex Cathedra malitiæ. Non est itaque deserenda sanctitas Cathedræ neque gregis vnitas dissoluenda propter Pastores malos: respectus enim personarum vt est apud Augustinum erroris est mater. Vbi idem Augustinus fidem à perfido percipi posse docet, & numeri 22. Legimus Dominum etiam per asinum loquutũ, quominus ergo loquatur per hominem quamuis grauibus flagitiis obnoxiũ quid impedit? Spiritus vbi vult spirat etiam nolentibus aliquando illis qui loquuntur, nam Balaam prætio conductus vt populo Dei malediceret progrediebatur, aliter tamen quàm animo destinauerat quamprimum populum Dei conspexisset ei benedixit.
2. Reg. 19. Rex Saül ad trucidãdum Dauidem properauerat:

Contra literas Petil. lib. 1. cap 2.

veniens

veniens tamen ad Prophetarum cuneum vbi Dauid prophetabat: prophetauit & ipſe Saül coram Samuële Spiritu diuino ſurreptus odioque naturali in amorem ſupernaturalem mutato.

Quis ignorat quales fuerint ſacerdotum Principes & Scribæ temporibus Herodis? qui tamen vbi naſceretur Chriſtus interrogati ſine cunctatione dixerunt (idque Propheticè) in Bethleem Iudæ. Caïphâ quid nequius eſſe potuit qui cum prætio emptum ſceleratè nactus eſſet Pontificatum ſceleratius geſſiſſet: tamen cum diceret expedit vobis vt vnus moriatur pro populo ne tota gẽs pereat nõ à ſeipſo hoc dixit (vt teſtatur Ioãnes) ſed cum eſſet Pontifex anni illius prophetauit. *Matth. 2.* *Ioan. 11.*

Sanctus Hieronymus explicãs illa Matthęi verba, qui recipit prophetam nomine prophetę mercedem prophetæ accipiet: atque illa verba qui vos recipit me recipit, poterat (inquit) occulta eſſe credentium reſponſio: ergo & pſeudoprophetas & Iudam proditorem debemus recipere: ſed huic argumento (inquit) per pręoccupationem reſpondet Chriſtus cùm dicit nomen prophetę non perſonam prophetæ ſuſcipiendam eſſe & mercedem non perdere ſuſcipientes licèt indignus ſit qui ſuſceptus eſt. *Cap. 10.*

Non perſonas itaque ſed nomina Chriſtus vult ſuſcipi: hoc eſt non vult nos nimiũ ſollicitos eſſe qualis perſona ſit quouè vitæ merito cuius miniſterio Deus vtitur ſiue in Eccleſia gubernãda, ſiue in Sacramentis adminiſtrandis: Iudaſne ſit an Petrus an Paulus conſiderari non vult: ſed ſolu n hoc quod ſedet in Cathedra legitima legitimè,

quod sit Apostolus, quod sit Christi legatus, quod Sacerdos, quod Episcopus legitimè vnctus de cuius ore legem Dei audire iussus est. Hoc enim præcipuè spectari vult Christus per verba præcedentia. Ergo si Iudas est quamdiu Apostolus est & Christi legatione fungitur nihil te moueat si fur est: audias eum nihilominus reuerenter, diligenter, & obedienter: quæ dixerit facite, quæ fecerit facere nolite, non ad ipsum inquit Augustinus refer animum sed ad illum cuius legationem gerit cum Euangelium etiam fur Iudas sine fideliũ detrimento prædicauerit: at quicunque non recepit illum, Christum ipsum non recepit, cum æquè Iudæ dixerat ac Petro & Ioãni, qui vos reiicit me reiicit. Si verò Petrus est & Ioannes qui eadem legatione fungitur & dictis parendum & facta imitanda: hęc Augustinus.

ib. 1. contra Epist. Parmeniam cap. 1

Præterea incerta esset salus nostra si ex sanctitate docentium aut Sacramenta administrãtium penderet: quia prauum est & inscrutabile cor hominis vt qui sanctus quiue impius reuera sit non possit nisi solus Deus (qui cordis renumque scrutator est) scire. Eam ob causam Augustini seculo Donatistę, & Bernardi seculo qui se Apostolicos dixerunt vtrique Heretici sunt iudicati quia noluerunt alicubi esse Ecclesiam Apostolicam nisi vbi esset vita omnino Apostolica, metientes hoc modo verbi sacramentorumque vtilitatem ex ministrorum virtute & dignitate.

Ex præcedentibus itaque liquet, vocationem non vitam Pastorum animaduertendam: deinde principibus secularibus Pastoribusque Eccle-

siasticis latentem aliquam ineſſe ſpirituſſancti cõcomitantiam coniunctam: vt in Balaam, Saüle, Caypha, &c. iamdudum oſtendimus.

Quod principes Paſtoreſque Eccleſiaſtici aliquam ſemper ſpiritus ſancti cõcomitantiam habent.

Atque huius rei exẽplum memorabile in Annalibus de Vigilio Pontifice Romano nobis legendum extat. Is enim cum per ſcelus ad Pontificatum peruenisſet, nam Siluerium Papam cuius erat Diaconus inſtigante imperatrice Auguſta de ſede ſua in exilium mitti curauit: (ferebat enim ęgrè Auguſta quòd Siluerius Authemiũ Epiſcopum Conſtantinopolitanum per Agapetum Siluerij anteceſſorem Epiſcopatu priuatum propter Eutyches hereſim, reſtituere noluerat) Vigilius itaque opera dictę Auguſtæ in locum exulantis Siluerij ſuffectus ac Pontifex Romanus deſignatus ea lege vt id faceret pro Auguſta quòd Siluerius facere conſtanter detractabat. Verùm Vigilio accidit res admiratione & laude digniſſima: ſtatim enim vt Petri Cathedram aſcendit idem illi quod 2. reg. 9. Saülo euenit: nam ſuper eum quoque factus eſt ſpiritus domini quamuis longè alio animo ad Eccleſię gubernacula acceſſiſſet: admonitus enim ab Auguſta promiſsi, priùs extrema quęque ſe paſſurum reſpondit quàm vt Hereticum in ſedem ex qua iure optimo deiectus fuerat reſtitueret: cumque multa probra, multos etiam graues cruciatus famemque diuturnam in carcere pertuliſſet, tulit omnia forti animo quod multò ſe grauiora ſupplicia commeritum diceret, qui malis artibus Pontificatum aſſequutus horrendum facinus contra Sanctum Syluerium determinaſſet. Non fuit hic Pontifex in primo in-

greſſu Cayphæ diſsimilis: fecit tamen ſedis beatitudò vt quòd impiè promiſerat id piè poſtea negauit, ac eo quo decebat Pontificem Chriſtianum animo tulit potiùs omnia patienter quamtumuis acerba quàm vt aliquid indignum Petri ſucceſſione pro hereticis ſtatueret.

Itaque vt colophonem huic Leuidenſæ imponam ſupponamus omnia vera eſſe quę contra ſedem Romanam obiiciunt: quod interim remedium maximè conueniens Chriſtianũque inuenietur quo omnia in Eccleſiæ afflictæ tranquillitatẽ & ad vniformen antiquam normam reducantur: vt quemadmodum vnus ſolus eſt Deus, vnus ſaluator Ieſus Chriſtus: ita nos in vna fidei religioniſque forma illum colamus in ipſius gloriam & noſtri ipſius ſalutem.

Ego profectò cum diu multumque de hoc negotio non ſine precibus anxius cogitaueram, Media nulla partibus contendentibus ſaniora magiſque æqualia occurrebant quàm quæ ſequuntur.

Quod præſentibus Eccleſiæ malis remedium optimũ.

Primum (vt iam dictum eſt) inter perſonas & nomina prudenter diſtinguentes non vitia ſed officia, non doctorem ſed doctoris dignitatem & Cathedram reſpiciamus: id ſi fecerimus ſedem Romanam quæ Apoſtolatus ſucceſsionem tam manifeſtam habet nunquam deſeremus etiamſi quę obiiciũtur omnia vera eſſent. Ita enim conſulit. D. Auguſtinus. 7. contra literas Petilli. lib. 2. cap. 5. cùm dicit Cathedra tibi quid fecit Eccleſiæ Romanæ in qua Petrus ſedit, & in qua hodie ſedet Athanaſius? & poſtea. Quare appellas Cathedram peſtilentię cathedram Apoſtolicam? Si pro-

pter homines quos putas legem loqui (& non facere) nunquid Dominus Iesus Christus propter Phariſęos de quibus ait dicunt enim & non faciunt, cathedræ in qua ſedebant vllam iniuriam fecit? Nonne illam Cathedram Moyſis commendauit, & illos ſeruato Cathedræ honore, redarguit? Ait enim, *Super Cathedram Moyſis ſedent, quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite.* Dicunt enim & non faciunt, hæc ſi cogitaueritis non propter homines quos infamatis, Cathedram Apoſtolicam blaſphemaretis, cui non communicatis, hæc Auguſtinus.

Deinde conſideremus poſt Chriſti aſcenſionem in Centuriis aut ſeculis ſingulis qui Scriptores Eccleſiaſtici digniores, quæ Concilia celebriora extiterint, & ex iis inueſtigemus præſentium controuerſiarum deciſionem, quæ ommes controuerſiæ cum ex Scripturis malè intellectis oriantur, nonnè optimus erit componendi modus ex iis lucem petere qui in ſeculis luci propinquioribus vixerunt? In Primo itaque ſeculo Scriptores primi nempe Euangeliſtæ illam primam & principalem cõtrouerſiam de reali præſentia manifeſtè dirimunt dicentes hoc eſt corpus meum, & in Clemente Romano Miſſæ liturgia, Traditiones & Ceremoniæ Apoſtolicæ quibus hodie vtitur Romana Eccleſia expreſſis verbis reperiantur: quemadmodum & Templorum Conſecrationes & Dedicationes, cum primatu Petri: Item Martyria magni eſſe meriti, Crucem & Crucis ſignum, voluntariam paupertatem, ſeruandæ virginitatis votum, quorundam dierum ſpatium ad

pœnitentiam propoſitam, &c. partim per eũdem Clementem, partim per Dionyſium Areopagitam & ſparſim per Ignatium, Linum, Polycarpum, Philoiudæum ſtabiliri legimus. Atque in hoc ſeculo Aureo cum Hereſes modernæ incognitæ eſſent primum illud Apoſtolorum Concilium Hieroſylimis celebratum ſolummodò ceremonias Iudaicas aboleri curauit nobis genuinam formam Concilij legitimè conuocãdi relinquens. Secundo ſeculo Iuſtinus martyr, Irenæus, Egeſippus, Tertullianus, Victor Papa, Aquila Ponticus, Dionyſius Corinthius præcipui Eccleſiaſtici ſcriptores de Miſſæ ſacrificio, libero arbitrio, Euchariſtiæ Tranſſubſtantiatione, Baptiſmi criſmate & ceremoniis, precibus pro mortuis & Purgatorio, de delectu ciborum & quadrageſima apertè loquuntur. Concilia quoque illius ætatis quinque, collecta contra Decumanos de die Paſchatis diſputantes (qui in multas ſectas diuidebantur vt in Gnoſticos, Valentinianos, Iudaizantes, Montanos, Angelicos) illorum omnium errores cum confutãt huius quoque ~~enim~~ Sacramentarios argumentis efficaciſſimis refellunt. In tertio ſeculo Clemens Alexandrinus, Origenes, Gregorius Næoceſarienſis, Tryphon, Dionyſius Alexandrinus, Euſebius Alexandrinus & Laodicẽſis, Cyrillus Antiochenus, Arnobius Lactantij præceptor: hi ſparſim deſcribunt Miſſam eſſe Sacrificium & continere verum Chriſti corpus, aiũt Baptiſmum conferre gratiam, Baptiſmi vnctionem & ceremonias repetunt, Purgatorium, Confirmationis ſacramentum, Primatum Petri, Coniugium eſſe

Sacramentum Ecclesiæ, indulgentias Pontificias, Sanctorum auxilia, imagines, Quadragesimam, Delectum ciborum, liberum arbitrium, opera bona requiri ad salutem, extra controuersiam hęc omnia ponunt. Denique cum refutant Proclum, Nouatianos, Sabellianos, Samosetanos, Manichæos, Donatistas, eadem opera multas huius seculi blasphemias repellunt: quemadmodum & tredecim illa illius seculi Concilia celebria satisfaciunt plerisque huius æui contumeliis. Quarti seculi scriptores sancti vt Ambrosius, Athanasius, Lactantius, Epiphanius, Damasus. Gregorius Nazianzenus, Basilius, Eusebius Cæsariensis, Hieronymus, Hilarius, Palladius & Optatus. Hi adhuc multò luculētius Ecclesiæ Catholicę Romanæ in prę sentibus cōtrouersiis astipulātur, & illa triginta quinque illius ętatis cōcilia inter quæ erat Nicenū cum hereticos sui tēporis cōfutant, hodiernos quoque iisdē telis conficiūt. Quinti seculi scriptores Theodoretus, Orosius, Gelasius, Prosper, Socrates, Sozomenus, Petrus Chrysologus, Hilarius Arelatensis. Sed precipuè Diuus Augustinus, & Chrysostomus, vnà cum illis 32. illius æui Cōciliis doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ Romanæ in præsentibus quę stionibus propugnatores & triarij sunt strenuissimi. Sexti seculi scriptores Fulgentius, Symmachus Pontifex, Euodius, Gregorius magnus, Euagrius, Victor Vticensis, Nicephorus vnà cum Conciliis 41. Xenaiæ, Eutychianis, Agnoetis, Monotheletis (præter superiorum ætatum hereses) resistentes nostræ quoque ætatis hereses manifestè refellunt. Septimi autem seculi

aliorumque vſque ad ſeculum preſens ſcriptores ſancti conciliaque tam planè in controuerſiis hodiernis pro Eccleſia Romana militant, illiuſque tutelam eò apertiùs accipiunt quantò manifeſtius Eccleſiæ Romanæ hoſtes iuſiſtunt adeò vt à ſeptimo in hoc præſens ſeculum aduerſarij ipſi Scriptores omnes Conciliaque ſuſpecta habeant, ſibique ex diametro contrariari fateantur. Verùm ſi ex illis aliquando audiamus aduerſarios locis quibuſdam ad ſua dogmata confirmanda vti non eſt mirandum cum etiam ex Scripturis ipſis locos adferant, aut truncatos, aut diſtortos, aut malè intellectos. Qui autē velit ſupra dictam ſeculorum citationem particulariter examinare legat Aurea illa Centuriarum volumina Illuſtriſſimi Cardinalis Baronij: qui quamuis ſit huius ſeculi ornamētum incomparabile venturi tamen ſeculi contemplatione incredibili captus raptuſque, quod hic ornat, odit, vt illic ornetur vbi ſuſpiria & amorem prodromos præmiſit: aut ſi hæc per otium legere non licuerit, legat ſaltem notas chronicas Genebrardi vbi Patrum libri & capita, Conciliorumque geſtiones particulares inueniet: quæ omnia ex induſtria breuitati ſtudens omiſi.

Euſebius lib. 5. cap. 23. & 24. & lib. 6. cap. 23.

Theodoritus lib. 5. cap. 8.

Sinagrius lib. 1. cap. 4.

Verùm ſi neque diſtinctio quæ iurè fieri debeat inter Epiſcoporū nomina & perſonas, neque Patrum Conciliorumque authoritas cordis noſtri contumaciam flectere poterit praxim tamen & experientiam ſtultorum pędagogum conſulamus. videbimuſque ab ætate Apoſtolorum in hunc vſque diem omnes in religione controuerſias hereſesque iudicio & authoritate Romanæ Eccleſiæ fuiſſe

fuisse aut compositas aut refutatas. Primùm in secundo seculo cum de celebratione Paschatis ageretur illius litis determinatio opera sancti Victoris Pontificis est definita. Tertio seculo Nouatiani (Heretici omnium illius æui molestissimi) authoritate Cornelij Pontificis condemnati sunt Quarto seculo virus suum expuebant Arriani sed Papa Syluester eos profligauit: quemadmodum & in eadem ætate Papa Damasus Macedonios eradicauit. In quinto & sexto seculis qui nisi Pontifices Romani, Nestorianos, Eutycheos, Pelagianos & infinitas alias Hereticorum sectas profligarunt? neque à primo seculo in hoc præsens aliqua altera Ecclesia Christiana Heresim aut Heresiarchas in Concilio legitimè cõuocato citare, examinare aut condemnare ausa est. Si ergo nulla historia ab ætate Apostolorum nobis proferre potest exemplum vnicum vbi aliqua heresis œcumenicè condemnata est nisi per sedis Romanæ authoritatem, quare praxi tam antiquę tamque laudabili contradictores tam pertinaces nos ostendimus? potissimùm cum nõ solum historici Ecclesiastici & Doctores tam Græci quàm Latini verumetiam ipsi Imperatores controuersiarum in religione definitionem Romanæ Ecclesiæ commiserunt. Cuius rei qui velint testimonia exceptione maiora videre, legant Euseb. lib. 7. cap. 26. Gratianum Imperatorem in Epistola ad Episcopum Aquileiensem, Theodosium Iuniorem in epistola ad Synodum Ephesinam, Athanasium in epistola ad solitariam vitam agentes, Basilium epistola 31. Tertullianum libro de præscriptionibus. Ambro-

siũ epist. 32. Hieronymum epist. ad Damasum, Augustinum 2. contra Cresconiũ cap. 33. Sed omnium apertissimè Irenæus tertio lib. cap. 3. cum dicit. *Maximæ & antiquissimæ omnibusque cognitæ à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo fundatæ & constitutæ Romæ Ecclesiæ eam quam habet ab Apostolis traditionem & annuntiatam omnibus fidem per Episcoporum successiones peruenientem vsque ad vos iudicãtes cõfundimus eos qui quoque modo vel per sui placentiam malam, vel per vanam gloriam, vel per cæcitatem aut malam scientiam præterquã oportet colligunt cõtra eam. Ad hãc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est qui sunt vndique fideles in qua semper ab his qui sunt vndique conuersata est ea quæ ab Apostolis est trãditio,* & Sanctus Cyprianus lib. 1. cap. 3. ad Cornelium Pontificẽ scribens ait. *Neque enim aliundè hereses obortæ sunt aut schismata nata quàm indè quod sacerdoti Dei non obtẽperaretur nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos iudex vicæ Christi admititur: cui si secundum mandata diuina obtemperaret fraternitas vniuersa nemo aduersus Sacerdotum collegium quicquam moueret,* &c.

Sed quid Catholicos Orthodoxos commemoro quorum nemo fuit vnquam qui de fidei causis si quid vocatum esset in dubium non ad sedem Apostolicam Romanam referendum esse putaret: cum etiam hereticos ipsos id feciisse docent Historiæ fide dignæ: legitur enim Eusebiũ Cõstantinopolitanũ Episcopũ Arrianũ ad Pontificẽ Romanũ Iuliũ misisse atque ab eo petiisse vt in causa quam cũ Athanasio habebat iudex esse velit, quin tota

illa Synodus Episcoporum Arrianorum Antiochiæ cum Eusebio congregata, acta sua eiusdem Pontificis iudicio comprobari petiit. De fortunata Pseudo episcopo ab Hereticis cõstituto, deque Basilide quod ad Petri cathedram appellauerint memoriæ prodidit Cyprianus. Fecit idem Petrus Habailardus, Bernardi temporibus. De Celestio quoque scribit Augustinus (de peccato orig. lib. 2. cap. 7) Quòd is Beati Papæ Innocentij literis resistere ausus non est: imo se omnia quæ sedes illa damnauerat damnaturum esse promisit. Idem quoque factum esse legimus per Antipontificum Coryphæum Lutherum cuius hæc sunt verba ad Leonem Decimum. Beatissime Papa prostratum me pedibus tuis offero cum omnibus quæ sum & habeo: viuifica, occide, voca, reuoca, approba, reproba vt placuerit: vocem tuam vocem Christi in te præsidẽtis & loquentis agnoscam, quamuis ista humiliatio nõ diutius quàm illa Celestij durauit.

Atque si hic dixeris optima ratione Patres Priscis illis Pontificibus Romanis ab ascensione ad annũ trecentesimum aut quadringentesimum, prærogatiuam laudesque pietati, doctrinæque debitas contulisse: Verùm cum in Pontificibus subsequẽtibus pietas, doctrinaque primitiua nõ sequatur, nullomodo Priscorum encomiis, elogiisque decorari debere. Sed huius diuerticuli obliquitas facillimè demõstratur, cum negari nequeas Pontifices omnes post annum quadringentesimum prædictum in hunc vsque diem eandem fidem, eandemque doctrinam cum Priscis illis laudatis-

simis tenuisse, docuisse, defendisse. (si Symbolum Apostolorum, libros que Scripturarum Canonicos pro Priscorum fide & doctrina accipere dignaberis). Veruntamen si adhuc tibi videntur à Priscorum moribus & doctrina deflexisse: An eã solũmodò ob causam tibi despiciendi sunt & deserendi? Itanè tu Regem tuum imperio indignum iudicabis quia tibi videtur iustitiam aut abnegasse aut vitiasse? Itanè pastorem legitimum Acephalorum more abnegabis & abiurabis quia tibi videtur religionem orthodoxam ritibus humanis coinquinasse? profectò si hæc effrænis licentia permitteretur actum esset tum de Regibus & iustitia, cum de Pastoribus & pietate, totusque mundus in illud pristinum Ataxiæ Chaos (Astræa & θεσμοθεσια terras relinquentibus) reuerteretur. Sed scio vnde hæc animositas, vnde hic mẽtis tuæ impetus tam ardens procedat: febricitas & cor habes ita curiositatis æstu adustum, palatumque ambitionis acerbitate adeò vitiatum vt quæ dulcia sanaque sunt pro insalubribus & amaris accipias, neque spirare aut pronuntiare poteris nisi flãmas ætnæas, sermonesq; & otiosos, & vitiosos. Ast vbi ista contumacia in Patrum modestiã conuersa fuerit febrimque hanc feruẽtem deposueris: tunc vt illi de Pontificibus præteritis ita & tu de præsentibus iudicabis: hoc est cum D. Hieronymi, Augustini, aut Bernardi spiritu spiraueris tunc tuis oculis videbis Damaso, Anastasio aut Honorio parem si nõ maiorem hodierno die Põtificem. Sed cum schismatum squamis oculos occlusos habeas mirandum non est quod neque lu-

cem neque lampades Dei lucentes non videas, Vbi enim oculus nequam est & totum corpus tenebrosum: verum in contumeliis immeritis perpetiendis Pontificibus gloriandum est, cum in hoc vt in aliis, Apostolos habeant Authores: tu verò qui εἰρήνεν simulans cudere cudis ἐρὶν voceque virulenta tam insolenter lacessis procacitatis tuæ authores nullos inuenies nisi Iannem & Iambrem qui Moysem blasphemarũt, Festum qui Paulum insanire dixerat, illosque qui Apostolos quasi musto repletos irriserunt, quique Christum ipsum omnipotentis vnigenitum, fabrum, fabrique filium esse somniarunt.

Tertio loco si neque Historiarum, Patrum, Imperatorum, neque ipsorum hereticorũ antiquorum praxis mouere poterit: expendamus paululum quid fecerint ipsi prophetæ cum manifestè viderent & in doctrina & in moribus sacerdotum summam impietatem & insolentiam, an se ab Ecclesia Iudaica separarunt? an sacerdotium bonum propter sacerdotes malos id est officia propter vitia cõtempserunt? an Templum iudaicũ deseruerunt? an bonis, officiisque Ecclesiasticis se inuestierunt? an plebem in sectas & factiones seditiosè contraxerunt & altare cõtra altare posuerunt? nequaquam: in templo prophetarũt, prophetias suas templorum valuis affixerunt: suis contenti aliena non ambierunt: imò inter sacerdotes ipsos maluerunt infinita tormentorũ genera pati quàm extra templum inter factiosos vitã securam agere. Cuius constantiæ obedientiæque exempla videmus in Amos qui in Bethel mactatus est per

Amasiam sacerdotem: in Esaia qui per Manasse Iudæ regem in duas partes serra sectus est: in Ieremia qui per populum lapidibus est obrutus: in Ezechiele qui per ducem Iudaicum in Babylone inter Iudæos ipsos interfectus est: in Michæa qui per Ioram in Iudęa præcipitatus est, & in Zacharia qui prope altare trucidatus est.

Vltimò si quæ dicta sunt non adhuc mouent videamus in nane Ecclesiæ fluctuantes Apostolos quid ipsi nauigantes fecerint. Illi nauem diu vndis ventisque iactatam cernẽtes pallidi & metu perculsi, noluerunt tamen Christum dormientem excitare quandiu spes aliqua salutis supererat: sed cùm nauis fluctibus semiobruta perire videbatur, tunc Christum non ridiculè & rabiosè sed reuerenter admonentes dicebant: Domine saluum nos fac, perimus. Hoc discipulorum exemplum quicunque pij sunt imitari debent: vident nauiculam in quam ascendit Christus (hoc est vnam sanctam Catholicam Ecclesiam) ita procellis iactari vt mergenda iamiam esse videatur, concedatur quod intelligant huius tempestatis non postremam causam esse quod Christus in suis Vicariis obdormierit qui commodis huius mundi delniti, ita profundo somno consopiti iacẽt vt quãlibet vellices, quamlibet inclames expergisci nequeant. In hoc discrimine confugiant ad Nauclerum Christum: eum in vicariis suis dormientem precibus non pręliis ciuilibus excitent ac supplici voce nulla vi aut vindicatione adhibita moribundi exclament: Domine salua nos, perimus.

Expergiscere Domine in iis quibus in guber-

nanda Ecclesiæ tuæ naue vices tuas committere dignatus es: Spiritus timoris tui illos ex hoc profundo somno excitet, ac per eos iam experrectos impera vētis & mari omnibusque turbinibus hereticis vt aliquando iis sedatis exoptata omnibus tranquillitas sequatur, quod vidētes homines mirentur & te glorificent dicentes: *Quis est hic quia etiam ministris eius venti & mare obediunt.* Hæc profectò vnica est ratio qua malis præsentibus succurri possit: Nempè vt supplices Deum Opt. Max. vno ore cuncti precemur (si certò sciamus per eos qui Ecclesię præsunt stare quomimus Ecclesię periclitanti succurratur) vt ipse inclinet eorum corda ad illa concilia capescenda quibus Ecclesiæ tranquillitas restitui possit. Quam enim factiosi rationem sequuntur siue declament, siue scribant non alia in re plus temporis consumentes quàm vt famam Pontificum Prælatorumque confictis criminationibus cum veræ desunt, lacerent, profectò plus turbinis quàm tranquillitatis, plus periculi qàum pacis, plus mali quàm medicinæ Ecclesiæ vulneratæ adferet.

Maneamus itaque (ciues Tribulesqué mei charissimi) cum Prophetis intra templi atria, cum discipulis in naue Ecclesiæ quantumuis procellis iactata. Caueamus ne à Moyse nos separantes punitiones Choræ, Datham & Abiron & mereamur & patiamur.

Aliter profectò Imperator Constantinus se gessit erga suæ ætatis Episcopos: cui cum essent oblati libelli in quibus crimina quorundam Sacerdotum & Episcoporum continebantur non satis ha- *Theodoret. lib. 1. cap. 11.*

buit quod libellos exuri fecerit cum se ab illis non illos à se iudicari debere diceret, verum & hoc insuper adiecisse legitur si fortè suis oculis turpe facinus aliquod Episcopum committere cõspexisset obtecturus id fuerat suo paludamento ne cuius oculi ea re offenderentur.

Vtinam hoc seculo vigeret inter omnes Christianos hæc Christiana Constantini magni sobrietas: vtinam innocentes soli lapides primos iacere auderent. Si ita esset profectò qui hodie maximè ad maledicendum parati sunt à iurgiis abstinerent: cum sciant seipsos non esse omnino irreprehensibiles & in Ecclesia semper fuisse paleas cum tritico, cum vino fæces, cum vitibus labruscas. Eratne in familia Abrahami Ismaël? In familia Isaici, Esau? in familia Dauidis Absalon? cum Moyse Miriam & cum Eliseo Gehezi? Nonne inter duodecim Apostolos vnus erat Iudas? & cum Ecclesia ex octo tantum constaret vnus erat Cham: & cum ex quatuor tãtum vnus erat Cain: & cum ex duobus tantum vna alterum ad inobedientiam prouocauit. Quid mirum ergo si inter Trecentos triginta pontifices Romanos & inter Myriades prælatorum religiosorumque reperiantur nonnulli Iudæ, Caini, Chami, Ismaëles? pro quibus si deserenda est Ecclesia Romana cur non pari ratione deseruntur & Antiromanæ in quorum numero exiguo videmus etiam zizania, hircos & pecora scabiosa quæ quotidiè pro delictis leuioribus pœnitentia publica mulctaque pecuniaria: pro capitalibus, excommunicatione & aliquando capitis ipsius pena plectũtur. Sed illis parco

parco & ignoſco per meipſum omnium fragillimum fragilitatẽ humanam agnoſcens cuperemque vt iudicari metuentes iudicare metueremus, trabẽque ex noſtris oculis tolleremus antequam feſtucas fratribus obiiceremus, cùm ſciamus illos qui ad maledicendũ paratiores ſunt ad benè agẽdũ pigriores eſſe. Cuius rei exẽpla manifeſtiſſimè legimus in Achab cõtra Eliam, in iudicibus falſis contra Suſannam, & in vxore Putipharis contra Ioſephum.

Verum ne hæc Paræneſis manipuli molem excedat iam riuos claudo Lectori non partiali iudicium relinquens ſi res ſit odioſa aut abominanda conſiderationibus prædictis ſupra baſes rationis tam luculentæ, conſuetudinis tam laudatæ, & ſupra Scripturarum Patrumque authoritatem tam manifeſtam, fundatis (contra quos nemo ſobrius aut Chriſtianus contradicere debet) ſuperatum me atque in gremium Eccleſiæ Catholicæ Romanæ indẽctum profiteri. Non quia Romana eſt: ſed quia inter omnes alios Chriſtianorum cœtus de fide contendentes illa ſola cum ſuis adhęrẽtibus veræ Eccleſiæ notas iurè vendicare poterit vt ſupra probatum eſt.

Neque tamen Romanum dici res eſt parui momenti cum ſub illo Epitheto ſolo contineantur reliquæ Eccleſiæ Orthodoxæ notæ memorabiliores vt potè antiquitatis, vniuerſalitatis, vnitatis puritatis Apoſtolicę. Nam cũ Apoſtolus ad Romanos ſcribens illorum fidem annuntiatam eſſe per vniuerſum mundum affirmet. Primùm antiquitatem fidei & Eccleſiæ Romanæ videmus

quod incœperit ſeculo ipſius Diui Pauli mille ſexcentis abhinc annis. Secundò vniuerſalitas oſtenditur cum Romanam fidem per totum orbem annuntiatam fuiſſe aſſerit. Tertiò puritas vnitaſque Apoſtolica demonſtratur cum Emphaticè appellet fidem Apoſtolicam fidem Romanorum: ait enim Romanis, fides veſtra annuntiata eſt per totum orbem. Atque ob hanc cauſam Auguſtinus aſſerit non ſine ratione fuiſſe cur magna ſemper Romanæ Eccleſiæ prærogatiua tribueretur, in qua floruit principatus Cathedræ Apoſtolicę, quia (inquit) omnes aliæ Eccleſiæ quibus alij Apoſtoli præfuerunt, à fide defecerunt: ſola hęc Sancta & Apoſtolica mater omnium Eccleſiarum Chriſti Eccleſia per omnipotentis Dei gratiam à tramite Apoſtolicæ veritatis nunquam errauit nec hereticis nouitatibus deprauata ſuccubuiſſe legitur. Sed quam ab exordio fidei Chriſtianæ normam ab ipſis Apoſtolis accepit, in ea ſemper illibata permanſit. Defecit (inquit) Hieroſolymitana Eccleſia cui præſedit Iacobus; defecit Achaïa vbi Andreas: defecit Aſia vbi Ioannes: defecit India vbi Thomas: defecit Perſis vbi Iudas Iacobi frater: defecit Æthiopia vbi Matheus: defecit Phrygia vbi Philippus: defecit Græcia vbi Paulus: ſola fuit & eſt Eccleſia Romana ad quam ſicut prędicarè ſcribit Cyprianus nunquam acceſſum aut ingreſſum habere potuit perfidia, de qua ſic ad Ruffinum ſcribens ait Hieronymus. Scito (inquit) Romanam fidem Apoſtolica voce laudatã iſtiuſmodi præſtigias non recipere etiamſi Angelus aliter annuntiet quàm ſemel ibi prædicatum eſt,

piſt. 162.

Cypria. lib. 1. epiſt. 3.

Hieron. lib. 3.

quia vt alicubi Auguſtinus, quod inuenit tenuit, quod didicit docuit, quod à Patribus accepit hoc filiis tradidit.

Ad eam ergò alacres curramus gnari quod ſi in illa errauerimus errabimus cum Patribus antiquiſſimis, doctiſſimis, ſanctiſſimis, cum Prophetis, cum Apoſtolis, imò cum ipſo Chriſto qui omnis erroris expers eſt. Relinquamus ollas & aulas Ægyptiacas vt in deſerto cum Moyſe Eccleſiæ manna veſcamur: idque citiùs feſtinandum eſt. Neſcimus enim qua vigilia nocturna aut cuſtodia diurna villicationis noſtræ ratio reddẽda eſt: neſcimus qua hora mors inexorabilis inſtar latronis nupalia noſtra lutea adorietur: neſcimus quando nos ad nuptias inuitabit ſponſus aut quando thalamum ſuum ingredietur: vbi ſi non induti reperiemur veſte nuptiali id eſt amictu Eccleſiaſtico: niſi lampades Eccleſiæ lumine radiantes habeamus aut explodemur aut excludemur.

Conſiderate itaque (Tribules ciueſque mei chariſſimi) donec diem habetis: conſiderate (inquam) & reſpondete: Quas ob cauſas ab hac Eccleſia, (Eccleſiæ notis infallibilibus ornata) receſſiſtis, ac totius orbis Chriſtiani ſocietatem communionemque deſerentes maiores veſtros laudatiſſimos, atque adeò omnes omnium nationum, omnium ſeculorum, omniſque memoriæ homines qui Catholicè deceſſerunt ſceleris ac nefariæ infidelitatis condemnaſtis? vos enim ſi rectè creditis illi omnes in contraria fide morientes perierunt.

Deinde ſi cauſam habuiſtis legitimam vos à

prædicta Ecclesia separādi, respondete saltem qua authoritate moti huius potius quàm illius sectam sequuti estis: cum omnes quotquot sint qui à Romana Ecclesia defecerunt (Anabaptistæ, Suenkfeldiani, Lutherani, Sacramentarij, Bruniſtæ, Adamitæ, &c.) sua dogmata sacrarum literarum testimoniis confirmare audeant, Ecclesiāq; veram apud se esse affirmare non erubescant? cur inquā horum potius quàm illorum vocem, interpretationemque audiuistis? si dicas horum vel istorum tibi videri magis rationi consonam opinionem, fateri cogeris illud tuum videri esse fidei tuæ regulam: quodque Patribus Conciliisque imò toti Ecclesiæ Catholicæ tribuere renuis, tibiipsi arrogāter adscribis. Atque ita opinionem singularem deligens in hereseos suspicionem laberis.

Verum concedatur tibi licere eos sequi in fide qui tibi videntur rectius sentire. Iterum respondē & produc mihi vnicum tātum hominem ex omni antiquitatis memoria qui antequam sectæ tuæ Coryphæus (quicunque sit) nasceretur tecum in omnibus consenserit? Neminem proferre poteris, neminem nominare. Age igitur? estne æquum vt repudiata totius orbis disciplina doctrinam vel hactenus inauditā vel olim totius antiquitatis cōsensu explosam & eiectam complectaris hac sola ratione motus quia nescio qui noui homines tibi præclarè videntur oracula & mysteria diuina interpretari. Ergo tot fortissimos inuictissimosque viros ac mulieres qui sanguine suo Ecclesiam rigarunt: Tot ingeniosissimos doctissimosque homines qui in diuinarum literarum studio totas æ-

tates contiuerunt: tot integerrimos, ſpectatiſſimoſque Chriſti confeſſores qui fidei ſuæ veritatem, vitæque ſanctimoniam innumeris miraculis teſtatam reliquerũt: impios, infideles, idololàtras fuiſſe confirmabis? Ergo omnes illos in ſceleratorum ſedem atque regionem præcipites ages, ac ſempiternis ſupplicijs viuos, mortuoſque mactabis? & hoc ſolum quia tute tibi videris melius ſapere & intelligere Scripturas. Quaſi verò Chriſtus Opt. Max. Eccleſiã illam quã acerbiſſima morte ſibi in cruce deſpondit in tam cæca caligine tetriſque erroribus totos 1500. annos iacere ac contabeſcere paſſus fuerit: donec poſt tot ſecula tui ingenij lumine mundus illuſtraretur.

Has conſiderationes ſeriò vobiſcum voluentes fortaſsè videbitis voſmetipſos cum pauculis anteſignanis non minus erroribus eſſe obnoxios quàm orbis terrarum vniuerſus. Sed metuo ne meæ tenebræ luci tam perſpicuæ caliginem aliquam infundant.

Itaque non te moueat (amice lector) ingenij mei ſterilitas plus ſatis hoc enchiridio manifeſtata. Excuſabunt ærumnæ, ægritudo, ætaſque ingraueſcens. Tarditati quoque ignoſcas quod non ante vndecimam, vineam Domini ingreſſus in crepuſculo ætatis veſpertino operari cœperim, reliquias non primitias annorum meorum Eccleſiæ immolans: ſiquidem ſi Domino placuerit diligentia futura negligentiam præteritam penſare ſtudebo: imitaborque viatores ab itinere dilapſos, qui poſt longos errores viam regiam iterum inuenientes & feſtinantiùs gradiuntur & diligen-

tiùs à deviis cauent. Vltimò, ſtili humilitatem nõ deſpicias: quia propter rerum pondera verborum pompam negligo: cui verò delicatæ ſunt aures alios quærat qui verborum lenociniis eas demulceat: ego enim non orationem comptam aut Rhetoricam Ciceronianam demonſtrare ſtudeo: ſed Religionem rectam & Chriſtianã Eccleſiam quam qui in terris matrem non agnouerit Deum in cælis patrem non habebit. Vale & lucubrationes iſtas æquo animo accipias: quæ ſi fortè infirmiores videbuntur, parum intereſt: Addam enim adhuc (ſi per otium licuerit) argumentorum de hoc argumento aciem inexpugnabilem. Hæc autem militantium more pro velitibus præmiſi, verùm cum ad Triarios ventum fuerit tunc (Deo Auſpice) Arithmeticorum more diligentius numerabo, multiplicando, ſubſtrahendo, diuidendo, frangendo, addendo, donec rationes omnem calculum paſſuras exhibeam.

Soli Deo honor & gloria in æternum. Amen.

ERRATA.

PAg. 2. Candiæ pro Candaces. ibidem Saderet pro sederet. pag. 3. stupum pro stuprum. Pag. 4. in margine adde &. pag. 6. Epidanus pro Epidaurus, pag. 7. instructi pro instructis. pag. 15. exercent pro eas exarauit. pag. 38. salubrem pro salutem. pag. 40. vinum pro vnum. pag. 46. Iacobis pro Iacobi pag. 48. hallucieretur hallucinantur. pag. 52. virgo pro virga & christianus pro christianis. pag. 55. exhibebant pro exhibeant pag. Origenes pro origines. pag. 65. pontificis pro pontifices. pag. 74. est pro es. pag. 78. enim pro æui. pag. 82. crescónium pro cressónium.